



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Hebdomada II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

PROOEMIUM, SEU FUNDAMENTUM
Sequentium Hebdomadarum.

HEBDOMADA SE- CUNDA.

*Contemplatio Regni Jesu Christi, ex simi-
litudine Regis terreni, subditos suos evocan-
tis ad bellum.*

Hæc Contemplatio satis expressa est in Libro
Exercitiorum; præsertim si legatur juncta Expla-
natio, debet fieri ejus REPETITIO.

HEBDOMADÆ SECUNDÆ

Sive

PRIMÆ DIEI

MEDITATIO Prima. De Incarnatione.

MEDITATIO II. De Nativitate.

MEDITATIO III. Repetitio præcedentium dua-
rum.

MEDITATIO IV. Iterata repetitio.

MEDITATIO V. Applicatio sensuum ad prædi-
ctas.



Uinque prima hæc primæ diei Exer-
citia, sunt satis explicata in ipso Libro
Exercitiorum, cum junctis Explana-
tionibus. Itaque transfiliemus ad me-
ditationem sextam. Repetitiones ta-

men, & applicationes sensuum (quamvis nulla-
tenus sint omittendæ) deinceps in numero medi-
tationum non reponemus. Satis patet, quomodo
illæ, ad normam à S. P. Nostro præscriptam, fieri

debeant. Nullam quoque dierum rationem habebimus. Poterit enim unusquisque, prout S. P. Noster permittit, plures vel pauciores dies, quando in secessu Exercitiorum est, sibi præscribere; Sicut potest has vel illas meditationes sibi deligere, in iisque puncta mutare, sic tamen, ut capitales meditationes, à quibus cœteræ imbui debent, non omittantur.

Tenebimus verò seriem, quam S. P. Noster, post tres modos orandi nobis proposuit sub hoc titulo: VITÆ D. N. JESU CHRISTI MYSTERIA: & ex singulis punctis Mysterii, formabimus meditationem divisam in sua puncta meditationis. Notavimus enim in Explanatione puncta *Mysterii*, multum differre à punctis *Meditationis*. Hunc modum progrediendi servabimus in totâ Christi vitâ, etiam in tertiâ, & quartâ hebdomadâ. Facile erit ei, qui volet, duas, tres, aut plures meditationes in unam conjungere; conjungendo nimirum plura puncta Mysterii, sub iisdem punctis meditationis.

Capitalibus meditationibus dabitur suis locus juxtâ ordinem materiæ, sine ampliori tamen expositione, quæ in ipso Libro Exercitiorum, & in Explanationibus satis invenitur.

Notandum denique, quod in hac secundâ hebdomada Mysteria vitæ Christi, usque ad Ascensum in Templum anno duodecimo, potissimum spectent ad primum sive communem statum; qui in observatione mandatorum Dei consistit; cœtera verò mysteria, tam in hac, quam in sequentibus hebdomadis, potissimum spectant ad

statum

statum secundum, qui est Perfectionis Evangelicæ, vide Explanationes.

MEDITATIO VI.

De Annunciatâ B. MARIE Virgini

Christi Incarnatione, de quâ

Luc. 1. Myst. punct. 1.

CONG. Meditationem proximè instantem...
 menti objicere: ac desiderium provocare,
 Cognoscendi clariùs Incarnati Æterni Ver-
 bi; ut ipsi seruiam, & adharefcam tantò propen-
 siùs, quantò incredibiliorem erga me bonitatem
 ejus perspexero.

PRÆL. I. Quomodo Angelus Gabriel Bea-
 tam Virginem salutans, Divini Verbi Conceptio-
 nem ei nunciavit.

PRÆL. II. Videre in Civitate Nazareth Do-
 mum B. Virginis, & Virginem Dei seruitio ibi va-
 cantem.

PRÆL. III. Petere gratiam, ex cognitione hu-
 jus Mysterii in amore, & imitatione Christi profi-
 ciendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Mente conspiciamus B. Virginem, in conclavi suo Deo vacantem, & Archangelum Gabrielem ad illam ingredientem.

INTEL. Consideremus Angelum illum ad inferiora descendentem, non ad divites, & honoratos

ingressum; Sed ad Virginem pauperem, & vulgò ignotam: atque inde discamus, quod Deus non æstimet divitias, & honores, sicut mundus æstimat. REF. In meditatione de *Fundamento*, didicimus, quod illa omnia, non nisi ut instrumenta ad finem consequendum considerata sint. An id observavimus?

VOL. Statuimus in *Contempl. Regni Christi*, non alio uti victu, vestitu, &c. quàm quibus ipse Rex noster utitur: cum igitur videamus posthabito honore, & divitiis, ipsum ad pauperem, & ignobilem, ignotamque domum per suum legatum se convertere, confirmemus decretum nostrum ipsum in paupertate, & humilitate sequendi.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Angelus ad eam dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum &c.* Luc. I.

INTEL. Hinc discamus ex paupertate, & humilitate oriri gratiam apud Deum, Deumque ibi se conjungere. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Ps. 10. REF. Comparemus spiritum nostrum paupertatis, & humilitatis, cum illo B. Virginis.

VOL. Renovemus id, quod proposuimus in præcedenti puncto: & imitemur quoque B. Virginem.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Dixit Angelus. Ecce concipies in utero, & paries filium.* Luc. I.

INTEL. Legatio illa non tractat de divitiis, Regnis, &c. Sed de negotio Incarnationis, & Redem-

dem.

demptionis. REF. Inspiciamus, qualia sint negotia, quæ nos tractamus.

VOL. Statuamus in electione negotiorum, solum finem, & salutem nostram habere præ oculis.

COLLOQ. Petendo gratiam imitandi Christum Regem nostrum, & proximè ipsum sequendi. RECOLLECTIO.

MEDITATIO VII.

De Annunciata B. *MARIÆ* Virgini
Christi Incarnatione, de qua

Luc. i. Mystipunct. REF. Comparemus nostram sollicitudinem cum

CONG. Eadem, quæ in præcedenti.
PRÆL. I. Quomodo Angelus conceptionem Christi, confirmavit conceptione S. Joannis Baptistæ, quem Elisabeth concepit in Senectute suâ.

PRÆL. II. Imaginari sibi Civitatem Juda in Montanis, ubi Elisabeth, & Zacharias habitabant.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi puritatem B. Virginis, & virtutes Zachariæ, & Elisabeth.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos mentis ad domum Zachariæ, & Elisabeth, & contemplemur virtutes, quæ illis insunt.

INTEL. Consideremus, quod de illis scriptum est Luc. i. *Erant autem justi ambo antè Deum, incedentes in omnibus mandatis: &c.* id enim vero est rectà tendere ad finem creationis. Hinc Deus dedit gratiam tam mirabilis conceptionis

S. Joannis. REFL. Comparemus nostram justitiam cum illorum.

VOL. Statuamus exemplo illorum, non tantum in aliquibus, sed *in omnibus mandatis*, Regulis, & ordinationibus nostris ambulare. Dicamus Deo: *Mandata tua meditatio mea est.* Pl. 118. & quia Psalmus ille mirabili modo hoc identidem inculcat, si in sacris sumus, singulari cum affectu illum quotidie legamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet illud, quoniam Virum non cognosco.* Luc. 1.

INTEL. Colligamus ex hisce verbis, quomodo B. Virgo statim sollicita sit pro sua virginitate. REFL. Comparemus nostram sollicitudinem cum illa, memores simus, quod thesaurum illum portemus *in vasis fictilibus.* 2. Cor. 4.

VOL. Sicut in hebdomada prima decrevimus, & in Contemplatione Regni Christi decretum renovavimus, generoso animo expugnemus carnis rebellionem, ut exemplo B. Virginis juxta Reg. Summarii 28. *Angelicam puritatem* sectemur.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, &c. & Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Luc. 1.

INTEL. Notemus, quod Angelus securam reddat B. Virginem, narrando Dei opera, tum facta jam in Elisabetha, tum futura in ipsa B. Virgine, quæ prædicit, & promittit. REFL. Hinc discamus

camus, quomodo in anxietatibus nos ipsos, & alios debeamus erigere, operibus scilicet Dei factis in adiutorium sperantium in eum, & operibus futuris, quæ nobis prædicta sunt, & promissa in scripturis.

VOL. Accusemus imprudentiam nostram, qui in similibus casibus, vana sæpe, & humana adiutoria spectavimus; conversi ad Regem nostrum dicamus: *Ego tuâ licet indignissimus fretus tamen gratiâ, & ope, &c.* gratiâ, inquam, toties aliis præstitâ, & toties in scripturis promissâ.

COLLOQ. Conforme contemplationi Regi Christi. **RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.**

MEDITATIO VIII.

De Annunciata B. MARIE Virgini Christi Incarnatione, de qua

Luc. 1. Myst. punct. 3.

CONGRUA. Ut supra.

PRÆL. I. Quomodo B. Virgo Angelo assensum dederit, & conceperit Christum.

PRÆL. II. Mente intueri cubiculum, in quo Angelus cum B. Virgine loquebatur.

PRÆL. III. Petere gratiam inspirationes bonas accipiendi, iis assentiendi, easque exequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Repræsentemus nobis iterum B. Virginem cum Angelo loquentem.

INTEL. Consideremus autem B. Virginem turbatam: nam *turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset illa salutatio. Luc. 1.* REF. Discamus exemplo Virginis non statim *omni spiritui credere. 1. Joan. 4.* Sed probare qualis sit, & observare, an dicatur nobis, *ne timeas*, sicut dicitur B. Virgini, idque *sublat à tristitiâ & perturbatione omni.* juxta Reg. 1. hebd. 2. de discern. spiritibus.

VOL. Quia non pauci decepti fuerunt, petamus lumen à Deo, donum *intellectus*, ut possimus dignoscere spiritus; & diffidentes nobis, fiduciam magnam ponamus in eo, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixit autem Maria. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Luc. 1.*

INTEL. Notemus; quomodo B. Virgo cognita inspirationi bonæ promptè assensa sit. REF. Videamus, an non aliquando motionibus bonis resistamus, vel languidè ac tardè illis consentiamus.

VOL. Deinceps quotiescumque ter datur signum campanæ salutationis Angelicæ, per primum *Ave Maria* petamus bonas inspirationes: per secundum, gratiam promptè assentiendi: per tertium, gratiam exequendi, de quo iterum sequenti puncto.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et Verbum caro factum est. Joan. 1.*

INTEL. Notemus celerem executionem; nam B. Virgo statim post assensum suum concepit de Spiritu Sancto: REFL. Talis debet esse assensus noster; ut mox sequatur ipsa operis executio.

VOL. Deinceps dum datur signum salutationis Angelicæ, petamus per tertium *Ave Maria*, gratiam non tantum recipiendi bonas inspirationes, eisque assentiendi, sed etiam easdem exequendi.

COLLOQ. Ad B. Virginem, Christum incarnatum jam in utero Virginis, & ad Deum Patrem, petendo, ut dignetur confirmare, quæ jam animo nostro statuimus. RECOL.

MEDITATIO IX

De MARIA, Elisabeth cognatam suam visitante, ut habetur.

Luc. 1. Myst. punct. 1.

CONG. Non mutatur.

PRÆL. I. Quomodo inviserit Maria Elisabetham, ac S. Joannes in utero existens senserit Mariæ Salutationem, & gestierit.

PRÆL. II. Repræsentare sibi locum, in quo Maria & Elisabeth sibi occurrerunt.

PRÆL. III. Petere, ut ex Contemplatione Christi recens incarnati, excitemur ad ardentius ipsum amandum, & studiosius sequendum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere MARIAM, & Elisabetham invicem salutantes.

IN

INTEL. Consideremus Elisabetham repletam Spiritu Sancto. Nam *ut audivit salutationem*

MARIÆ, Elisabeth... repleta est spiritu Sancto

Luc. 1. Sic Christus recens incarnatus incipit diffundere sua dona, iis, qui proximè ipsi fiunt vicini.

REFL. Hinc discamus, si proximè Christum sequimur, tantò majora dona nos posse ab ipso sperare.

VOL. Cum magno fervore dicamus: *Eni Rex supreme recens incarnate, testor hoc esse desiderium meum, quam possum proximè te sequi, da mihi quoque Spiritus Sancti dona, ut melius tibi adhæream.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Elisabeth exclamavit voce magna & dixit: *Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui*

Luc. 1.

INTEL. Ratiocinemur, ab Elisabetha, per hæc verba laudatam fuisse B. Virginem tamquam Matrem Dei, & simul laudatum Christum, qui erat fructus ventris: idque Elisabeth fecit *exclamando, & quidem voce magnâ.* **REFL.** Examinemus nos, an pari zelo laudemus Christum, ejusque Matrem.

VOL. Conjugamus affectum nostrum cum Elisabetha, & exclamemus voce magnâ, ut Ecclesia audiat, & hæretici confundantur: *Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui Jesus.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *MARIA in diebus illis abiit in montana cum festinatione... extravit infans in utero.* Luc. 1.

INTEL. Notemus hinc abesse omnem acediam & pigritiam, exultat infans, MARIA festinat, & sequitur consilium datum Eccli. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox.* REFL. Diligenter inquiramus, an non habeat apud nos locum Acedia, est enim peccatum Capitale, quod multum nocet, & alibi explicatum est, cum suis filiabus, vide hinc Hebd. 1. Med. 22. punct. 4.

VOL. Accusemus acediam & pigritiam nostram: ut illam excutiamus, dicamus ad Deum: *latabor, & exultabo in te.* Psal. 9. *Exultabit cor meum in salutarituo.* Pl. 12.

COLLOQ. Quo petatur pax & gaudium in Spiritu Sancto. Rom. 14. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO X.

De MARIA, Elisabeth Cognatam suam visitante, ut habetur. Luc.

1. Myst. punct. 2.

CONG. Ut supra.

PRÆL. I. Virgo in hoc canticum præ lætitiâ prorupit: *Magnificat, &c.*

PRÆL. II. Imaginari sibi sanctam Domum Elisabeth, ubi canticum illud prolatum est.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi virtutes, quæ præ sente Christo, ibi eluxerunt.

PUN.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos ad B. Virginem.

INTEL. Contemplemur in ea fidem, quæ fuit prævia, ut fieret Mater Dei: ideo Elisabeth dicebat: *Beata, quæ credidisti.* Luc. i. REFL. Examinemus fidem nostram, quæ est fundamentum virtutum omnium.

VOL. Excitemus actus fidei, cœcæ, humilis, certæ, fortis, zelosæ.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ait MARIA: Magnificat. . . quia respexit humilitatem ancilla sua.* Luc. i.

INTEL. Concludamus humilitatem esse viam certam solidæ lætitiæ; ut possimus dicere etiam: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. i. REFL. Inspiciamus humilitatem nostram, ob cuius defectum, deficit in nobis etiam exultatio in salutari Dei.

VOL. Proponamus apud animum nostrum sequi humilitatem Christi recens incarnati, qui pauperem, & humilem matrem elegit: Statuamus in victu, vestitu, in omnibus eum sequi; sicut statuimus in Contempl. Regni Christi.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Reclamus opera Dei, quæ MARIA enumerat. *Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltravit humiles.* Luc. i.

INTEL. Ratiocinemur hæc omnia suadere. i.
in-

indifferentiam ad honorem, & contemptum. 2. Ut eligamus paupertatem, & contemptum, quando hæc magis ad finem consentanea sunt. 3. Ut à rebus mundanis, ac vanis nos recipiamus. 4. Ut Christum proximè sequamur *in ferendis injuriis, & adversis omnibus, cum vera, tum spiritus, tum etiam rerum paupertate*, siquidem electio talis sit magis fini consentanea. REFLECTIO. Consideremus, quomodo in his nos habeamus.

VOL. Renovet affectus Contemplationis Regni Christi: *Enò Rex supreme, ac Domine universorum*, qui dispergis superbos, deponis potentes de sede, & exaltas humiles, *ego tuâ, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ, & ope, &c.*

COLLOQ. Conforme fundamento, & contemplationi Regni Christi. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XI

De *MARIA*, *Elisabeth Cognatam suam visitante, ut habetur. Luc. 1.*

Myst. punct. 3.

CONG. Non variatur.

PRÆL. I. *Mansit autem MARIA cum illâ, quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam. Luc. 1.*

PRÆL. II. Objicere menti domum Zachariæ, & Elisabeth.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi virtutes istius domus, sive familiæ.

PRÆL.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere personam omnes in familiâ illâ per tres quasi menses simul commorantes.

INTEL. Cogitemus interiora, & exteriora illarum personarum, quantum differant ab Aulicis, & mundanis moribus. Nullus ibi locus carnis, sensuum, amoris proprii, & mundani rebellionis; nulla vitia aut peccata inde provenientia; sed virtutes omnes, Theologicæ, Religionis, morales illis insunt. **REFL.** Comparemus nos cum illis.

VOL. Æmulemur illas virtutes; sicut ibi Christus præsens erat latens in utero Virginis; sic nobis præsens est latens sub speciebus panis, & vini: proinde cum eadem reverentiâ coram illo debemus ambulare, & esse perfecti.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Singularum Personarum cogitationes, & verba cogitationum signa audiamus.

INTEL. Procul inde illud Pl. i 18. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes.* Sed de Deo, & de lege ejus omnis sermo. Christus verò Rex noster in utero Virginis parans se ad bellum, invitat nos illis verbis, quæ audivimus in Contempl. Regni Christi, *mea hac est justissima voluntas, &c.* **REFL.** Videamus, an non fuerimus hæctenus milites ignavi, qui tam parum tam justæ invitationi respondimus.

VOL. Respondeamus animo generoso: *En Rex supreme, &c.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Inspiciamus, quid per tres quasi menses in familiâ illâ agatur.

INTEL. Nihil ibi fit ad divitias, & Regna; nihil ad honores, & dignitates comparandas. Sed unusquisque, hoc unum agit, *ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.* **REFL.** Componamus actiones nostras cum hisce.

VOL. Renovemus, & confirmemus affectus, & ea, quæ apud nos proposuimus in meditat. de *Fundamento.*

COLLOQ. Conformia *Fundamento*, & contemplationi *Regni Christi.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XII.

De Christi nativitate Luc. 2.

Myst. punct 1.

CONG. manet eadem.

PRÆL I. Beata MARIA, cum Joseph Sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethleem.

PRÆL. II. Aspicere iter illud, & viam arduam, vel longam, vel brevem, &c.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi Christum recens incarnatum.

PUNCTUM. I. PERSONÆ MEM. *Ascendit autem, & Joseph... in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem... cum MARIA... pregnante. Luc. 2.*

INTEL. Perpendamus quo *victu, vestitu, rebusque aliis*, in illo itinere utatur Joseph cum MARIA prægnante: nempe Christus, qui tunc *in mundo erat*, quamvis *mundus eum non cognovit*, Joan. I. instillabat illis spiritum paupertatis. **REFL.** Consideremus, an non potius commoditatibus nostris studeamus.

VOL. Diligamus paupertatem, ut matrem, juxta Reg. 24. summ. nam hunc spiritum S. P. Noster ex hisce meditationibus hausit.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Audiamus colloquia, quæ Sanctæ illæ personæ habuerunt in viâ.

INTEL. Credibile est illos inter se, sed præcipue ad Deum hæc aut similia dixisse: *Peregrini enim sumus coram te, & advena sicut omnes Patres nostri. 1. Paral. 29.* **REFL.** Perpendamus, an satis memores simus illius, quod nobis inculcatur. 1. Petr. 2. ubi dicit: *obsecro vos tamquam advenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis.*

VOL. Doleamus si aliquando immemores illius monitionis fuerimus: & deinceps in peregrinatione nostra conformemus nos Josepho, & MARIA.

PUNCTUM. III. OPERA: MEM. *Factum est autem in diebus illis exiit Edictum à Cesare Augusto... & ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam Civitatem. Ascendit autem, & Joseph, &c.* Luc. 2.

INTEL. Ratiocinemur, quod Christus nondum natus, voluerit Matrem, & nutritium suum, secum obedire mandato Principis gentilis, verè dicere poterat illud Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* REFL. Videamus quàm sæpè obmurmuremus mandatis superiorum.

VOL. Doleamus de defectibus in Obedientiâ: totosque nos fingamus ad Epistolam S. P. Nostri *de Obedientiâ*: & ab exemplo Christi Regis nostri numquam oculos mentis avertamus.

COLLOQ. Ad Christum recens incarnatum, supplicando, ut nobis etiam inspiret affectum erga virtutes sicut Matri suæ, & S. Josepho inspiravit.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIII.

De Christi Nativitate Luc. 2.

Myst. punct. 2.

CONG. solita.

CPRÆL. I. *B. Virgo in Bethleem peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Luc. 2.

G 2

PRÆL.

PRÆL. II. Repræsentare sibi speluncam in rupe excisam in qua Christus natus est.

PRÆL. III. Petere, ut intimè cognitâ Nativitate Christi, toti in ejus amorem, & imitationem exardescamus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum recens natum.

INTEL. En tandem optimus Rex noster, & Dominus Dominantium. 1. Tim. 6. *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Joh. 1. *quia non erat eis locus in diversorio.* Luc. 2. Speculemur amabilissimum hunc Regem, cui Principes, & populi omnes Christiani reverentiam, & obsequium prestare debeant. Cognoscamus hîc Dei Sapientiam, quæ abscondita est... quam nemo Principum hujus sæculi cognovit. 1. Cor. 2. REFL. Interrogemus nos ipsos, an cognoscamus eum? Nam scriptum est Joan. 17. *hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

VOL. Agnoscamus eum, & profiteamur esse nostrum Regem; adoremus eum recens natum, agamus gratias, toti in amorem ejus exardescamus, qui ex amore erga nos, nasci voluit, & venire in hunc miserum mundum, ad redimendos nos.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus vocem divini illius Infantis, quâ ad cor loquitur.

INTEL. Veni, inquit, in mundum, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eò mecum venire

venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit. REFL. Ratiocinemur, nos hæcenus non fuisse *sana mentis*, qui non cupidissimè Regis hujus servitio nos addiximus.

VOL. Confiteamur ingratitude, & malè sanam ignaviam nostram, ac deinde generosè priùs expugnemus carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellionem: nam hi sunt hostes Christi in quibus debellandis cum eo laborandum est.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. B. Virgo *pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio.* Luc. 2

INTEL. Ratiocinemur, quàm hæc omnia sint contraria. carni, sensibus, amori proprio & mundano: quàm sint contraria omnibus, quæ mundus amat & amplectitur. Sic sapientissimus Rex noster incipit pugnare contra suos hostes. REFL. Recenseamus pugnas nostras, & videamus: quàm procul absumus ab hoc Regis nostri exemplo.

VOL. Osculemur illud præsepe, quod est thronus Regis nostri, statuamus *omnino & non ex parte abhorre ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur: & admittere & concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit & amplexus est.* Juxtà Reg. 11. Summ.

COLLOQ. Quo petamus lumen, & animos magnos Christum non utcumque, sed proximè sequendi in omnibus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO. XIV.

De Christi Nativitate. Luc. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. ut solet.

PRÆL. I. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ Cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo. Luc. 2.*

PRÆL. II. Imaginari sibi locum, in quo multitudo Angelorum convenit.

PRÆL. III. Petere gratiam, exemplo Angelorum tenerrimè amandi & laudandi Christum Regem nostrum, ex amore erga nos recens natum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus & contemplemur multitudinem illam militiæ Cœlestis, quæ statim agnovit Christum natum, quem cœcus mundus non cognoscebat.

INTEL. Contemplemur gaudium in illis Angelis, admirationem, venerationem, amorem erga puerum, omninò inflammatum. REFL. Si respiciamus languorem nostrum, satis patebit nos mundo esse similes, non Cœlestibus illis spiritibus.

VOL. Conjugamus nos cum illâ militiâ Cœlesti, illorum affectus æmulemur, & pariter excitemus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. De Patre Cœlesti scriptum est. Hebr. 1. *Et cum iterum introdu-*
cit

cit primogenitum in Orbem terra, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.

INTEL. Ratiocinemur Angelos quoque creatos esse ad eundem finem laudandi & reverentiam exhibendi, & serviendi Christo & Deo, ut salvi fiant: ideò Deus Pater, qui pro sua bonitate impellit, ut ad finem illum tendamus, dicit: *& adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quia à fine hoc deflexerunt primi Angeli, ideò à salute exciderunt. REFL. Cogitemus, quod nobis quoque mandatum sit adorare Christum Deum. Nam non tantum de Cœlesti militia: sed de nobis, qui sumus militia terrestris scriptum est. Ps. 65. *omnis terra adoret te.*

VOL. Itaque associemus nos Angelis, & dicamus: *venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Ps. 94. *Ploremus peccata nostra, quibus à fine discessimus, & meriti sumus cum malis Angelis damnari: In nomine JESU omne genu flectatur Cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Phil. 2.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae Cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

INTEL. Perpendamus, quomodo Angeli, cognoscens mandatum Dei Patris, non tardaverint illud exequi: sed subito executi sint. REFL. Cogitemus, quàm tardi & pigri simus ad exequenda mandata, quæ Deus dat per superiores.

VOL. Accusemus nos, quod toties peccaverimus

contra Reg. Summ. 35. quæ vult, ut cum *magna celeritate spirituali gaudio, & perseverantiâ, quidquid nobis injunctum fuerit, obeamus. Statuamus meliora in posterum.*

COLLOQ. Ad Christum in præsepio positum, eum adorando, laudando, venerando, amando, & postulando gratiam pacis, & bonæ voluntatis, ut sine morâ, cum gaudio possimus ipsi servire, & vestigia ejus sequi.

MEDITATIO XV.

De Pastoribus. Luc. 2.

Myst. punct. 1.

CONG. De more.

PRÆL. I. Pastoribus revelatur Christi Nativitas per Angelum.

PRÆL. II. Imaginari sibi agrum, vel locum, ubi Pastores erant, cum suo grege.

PRÆL. III. Postulare, ut Nato Christo, in nobis nascatur amor erga ipsum, & studium imitandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos. Luc. 2.*

INTEL. Consideremus Pastores, vigilantes, ne lupus veniat, & devoret: Sic. 1. Petr. 5. monemur: *Vigilate, quia Adversarius vester diabolus tamquam*

quam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret. Si vigilemus autem, etiam Angelus Domini stabit juxta nos.

REFL. Videamus an non simus ex illis, de quibus dicitur: Nahum. 3. *Dormitaverunt Pastores tui.* & Matth. 25. *Dormitaverunt omnes & dormierunt.* Ideo Angeli præsentiam non sentimus.

VOL. Confugiamus ad Christum recens natum, ut, cum versemur inter Angelum malum, instar leonis, & lupi devorantem, & Angelum bonum nos custodientem, per gratiam suam excitet nos à torpore, & det donum vigilandi. ut ne à malo Angelo decipiamur; Sed per Regulas *discretionis spirituum*, fraudes ejus detegere possimus. Christo nato *hora est, jam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus.* Rom. 13.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Luc. 2.

INTEL. Quia Pastores ad aspectum Angeli, timuerunt timore magno. Luc. 2. *Dixit illis Angelus: nolite timere &c.* Nam juxta Reg. 1. hebd. 2. de discern. spiritib proprium est Dei, & Angeli cuiusq; boni veram infundere Spiritualem lætitiã animæ, quam movent sublatã tristitiã, & perturbatione omni. REFL. recenseamus errores nostros, qui sæpe frustra lætitiã, & pacem, quam mundus dare non potest, quæsimus à rebus vanis.

VOL. Studeamus benè Regulis de discern. spiritibus.

tibus, & fiduciam nostram collocemus in Deo, & Angelo bono. *Qui habitat in adiutorio altissimi, protectione Dei Cæli commorabitur... neque timebit à timore nocturno... ab incurſu, & demerſu monio meridiano.* Pf. 90.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Hoc vobis ſignum inuenietis Infantem pannis involutum, & positum in præſepio.* Luc. 2.

INTEL. Contemplemur inſignia noſtri Regis recens nati: perpendamus, quantum hæc diſtentiſſimè ſapientiâ mundi; Sed hæc *ſtultitia eſt apud Deum.* 2. Cor, 3. **REFL.** Reſpiciamus, an fuerimus *ſanctiſſimiſſi*, dum mundum ſecuti ſumus.

VOL. Juxtâ Reg. 11. Summ. exoptemus *aſſimulari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque veſtibus, & inſignibus indui.*

COLLOQ. Ad Chriſtum recens natum, petendo gratiam, *ut perſpectâ, & damnatâ mundi prauitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipiamus, ad inſignia Chriſti in præſepio poſiti.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XVI.

De Paſtoribus. Luc. 2.

Myſt. punct. 2.

CONG. ſit eadem.

PRÆL. I. Paſtores tranſeunt in Bethleem, & inueniunt infantem.

PRÆL.

PRÆL. II. Viam ipsam lustrare à gregibus ad speluncam, in quâ natus Christus.

PRÆL. III. Petere gratiam, *ne obsurdescamus vocante nos Christo; sed ad sequendum, ac obtemperandum promptissimi.*

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos mentis convertamus ad Pastores euntes in Bethleem.

INTEL. Expendamus illud, *Et venerunt festinantes.* Luc. 2. quando enim anima ab Angelo bono repletur verâ lætitiâ, tunc sentit se alacrem, & impigram, excutiturque omnis acedia. REFL. indagemus causam acediæ nostræ, quia scilicet juxta Reg. 6. hebd. 1. de disc. spirit. non facimus ea, *qua contra desolationis impulsum tendunt; qualia sunt insistere orationi. &c.*

VOL. Accuset torporem, & negligentiam suam. Nato Christo non pigri, sed *festinantes* propereamus in Bethleem, omnem moram, & desidiam excutiamus, quando, ut Redemptor noster veniret ad nos, *exultavit, ut Gigas ad currendam viam.* Pl. 18.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Ut *discesserunt ab eis Angeli in Cælum, Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethleem, Et videamus hoc verbum, quod factum est.* Luc. 2.

INTEL. Qui Angelorum bonorum inspirationibus pleni sunt, solent libenter de rebus spiritualibus loqui, REFL. Colloquia nostra vana, signum sunt, quod inspirationibus sanctis non benè attendamus.

VOL. Convertamus nos ad Regem nostrum, &
fit

fit nobis unica voluptas, de Nativitate, de panno
& de præsepi ipsius loqui, & audire loquentem

*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super
mel ori meo. Pl. 118.*

PUNCTUM III. OPERA, MEM. Et invenerunt MARIAM, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Luc. 2.

INTEL. Perpendamus felicitatem Pastorum quando invenerunt id, quod Angelus prædixerat

REFL. Examinemus, an nos quoque invenerimus illud ternarium: *MARIAM, & Joseph, & Infantem.*

VOL. Cum Pastoribus ingrediamur speluncam & inveniamus *MARIAM, & Joseph, & Infantem*, & dicamus: *inveni, quem diligit anima mea tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3.

COLLOQ. Ad tres illas personas, effundendum cor nostrum; elicendo actus fidei, spei, & charitatis, petendo gratiam, proximè Christum sequendi. &c. **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO XVII.

De Pastoribus.

Myst. punct. 3.

CONG. More solito.

PRÆL. I. Reversi sunt Pastores, Glorificantes, & laudantes Deum.

PRÆL. II. Cogitatione remetiri viam, per quam reversi sunt.

PRÆL.

PRÆL. III. Peterere, ut sicut in Pastoribus, sic in nobis foveatur ardor amandi Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Antequam discedant Pastores, consideremus iterum personas, quæ sunt in speluncâ.

INTEL. Inveniemus eas plenas admiratione. Nam, *omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.* Luc. 2. Ideo avidissimè audiebant & inquirebant. REFL. Videamus, an nos quoque tam avidi simus ad audienda Mysteria Dei, nominatim suavissimum hoc Mysterium nati Regis nostri.

VOL. Dicamus Christo recens nato: *mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea.* Pl. 118. Ideò scrutabimur hoc Mysterium, ut repleamur admiratione, & amore erga Regem nostrum, quem sequi in omnibus volumus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Egrediamur nunc è speluncâ cum Pastoribus, & redeuntium audiamus Colloquia.

INTEL. Audiamus illos *glorificantes & laudantes Deum.* Luc. 2. Hinc omnes, qui cum illis agebant, scire poterant, illos fuisse in Bethleëm. REFL. Quàm sæpè sermones nostri produnt nos, quod non in Bethleëm; sed in mundano confortio fuerimus.

VOL. Loquamur *nostris linguis magnalia Dei.* Act. 2. Magnalia, quæ vidimus, & audivimus in Bethleëm: Deumque laudemus, qui nos ità dilexit, ut miserit Filium suum in mundum.

PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Consideremus quid revertentes Pastores, non tantum locuti sint; sed etiam quid egerint.

INTEL. Ratiocinemur, quod aliqui laudent Deum, sic ut nihil agant erga proximum; sed Pastores illi contenti non erant, quod à se Deus & Christus natus laudaretur; imò ne contenti quidem erant, quod suo exemplo alii excitarentur ad idem: Sed cum zelo alios ad id inducebant & hortabantur: hoc indicat vox illa, *glorificantes*, hoc est laudem ipsius apud alios divulgantes. **REFL.** meminerimus, hoc proprium esse Hominum Societatis JESU,

VOL. Excitemus affectus laudis & amoris erga Christum natum; idque ità, ut juxtà Regulas nostras & vocationem illum per totum Orbem glorificemus, omnesque non exemplo tantum; Sed modis in Const. parte 6. præscriptis, ad Dei laudem & finem Creationis assequendum perducamus.

COLLOQ. Ad Christum in præsepio, supplicando, ut sicut ipse eo fine descendit de Cœlo, ut omnes salvos faceret, sic nos quoque, ejus gratia adjuti possimus satisfacere vocationi nostræ, & fini Societatis, qui juxtà Reg. Summ. 2. Est, etiam *impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere.*

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XVIII.

De Circumcisione Luc. 2.

Myft. punct 1.

CONG. Eadem, cum desiderio ferviendi Christo propter incredibilem ejus in nos amorem.

PRÆL. I. Circumcisis est puer.

PRÆL. II. Locum videre, in quo Circumcisio facta est, scilicet ipsam speluncam, ut interpretes censent.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut virtutes, quas Christus in Circumcisione exercuit, imitari possimus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum jam octo dies natum.

INTEL. Consideremus illum Hominem factum, *tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Hebr. 4. REFL. Consideremus ex adverso nos ipsos neutiquam *absque peccato*, sed tamquam ulcus foetidum, & apostema, ex quo tanta vitiorum sanies effluit.

VOL. Admiremur Dei bonitatem, qui tam vilem & foedum hominem dignatus est ita amare, ut miseras nostras nascendo suscipere voluerit: exerceamus contritionem, & alios affectus primæ hebdomadæ.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum, quamvis infantem, tacite tamen quodammodo loquentem, *meus cibus est, ut faciam volun-*

luntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Sic enim locutus fuit. Joan. 4. & hoc ab initio Incarnationis illi fuit propositum.

INTEL. Inde concludamus, Christum servasse omnia legis præcepta, & ab initio suæ conceptionis habuisse desiderium circumcisionis. REFL. Nos autem ab initio usus rationis toties præcepta Dei & Ecclesiæ violavimus.

VOL. Humiliemus nos, miremur patientiam Dei: actum charitatis benevolæ erga tantam bonitatem eliciamus: ex eâ ad perfectam contritionem pergamus, cum proposito obediendi omnibus mandatis.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Juxtâ legem Christus octavo die circumciditur.

INTEL. Discamus hinc obedientiam erga præcepta Dei, & Ecclesiæ: nam. *Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Hebr. 5. quia plenus erat ratione, magis sensibilem dolorem passus est in circumcissione quàm alii. REFL. Propter nos hæc passus est, ut nos quoque obedientiam discamus.

VOL. Accusemus duritiam cordis nostri, quod cum constiterit inobedientia nostra Christo, dolore tanto, non tamen nos emendemus, deinceps exemplum illud obedientiæ præ oculis habeamus.

COLLOQ. Ad Christum, per dolores ejus in Circumcissione toleratos, petendo gratiam perfectæ obedientiæ. RECOL.

MEDITATIO. XIX.

De Circumcisione, Luc. 2.

Myft. punct. 2.

CONG. Sicut ante dictum est.

PRÆL. I. Vocatum est nomen ejus Jesus.

PRÆL. II. Mente manere in speluncâ, in qua Christus est natus.

REFL. III. Petere, ut possimus percipere suavitatem, & vim sanctissimi istius Nominis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciere personas tres Divinas, non solum de Incarnatione verbi; Sed etiam de nomine ipsi imponendo tractantes ab æterno.

INTEL. ~~Intercin~~ocinemur, quod voluerint imponere nomen, quod juvaret ad redemptionem nostram; quod nos alliceret ad sequendum Doctorem, Ducem, Regem nostrum. REFL. Concludamus, quantam curam, charitatem habuerit nostri Deus ab æterno.Vol. Infinitam illam misericordiam extollamus. *Domine quid est homo, quod memores ejus?*

Pl. 8.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Audiamus SS. Trinitatem per Gabrielem legatum suum, B. Virgini tandem nomen illud manifestantem, dicendo: *& vocabis nomen ejus JESUM.* Luc. 2.INTEL. Perpendamus, quod nomen illud significet *Salvator*: quia nomen est *Salutare*, etiam corde

H

tan-

tantummodo pronunciatum, in omni periculo, intentione, in vitâ, & in morte. REFL. Videamus, quam forti & facili remedio contra omnia mala nos instruxerit Deus: quam negligenter eo usi fuerimus.

VOL. Optimè hîc adhiberi possunt omnes affectus, qui sunt in Hymno S. Bernardi: *JESU dulcis memoria, &c.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Consideremus quid in Cœlo, & in Terrâ factum sit dum nomen illud innotuit.

INTEL. Perpendamus, simul atque nomen illud, quod est super omne nomen, Christo datum fuisse, mox impletum fuisse id, quod habetur Philip. 2. *In nomine JESU omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & infernorum.* REFL. Concludamus, quantam reverentiam debeamus tali nomini: cogitemus, quantam hætenus detulerimus.

VOL. Ardeamus toto corde, amore erga talem Regem, cujus solum etiam nomen, tam amabile juxtâ, ac venerabile est. Non dubitemus illum proximè in omnibus sequi.

COLLOQ. Conforme contemplatione Regni Christi, miscendo affectus hymni supradicti S. Bernardi. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIONE SENSUUM.

MEDITATIO XX.

De Circumcisione. Luc. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. ut dictum antè.**PRÆL. I.** Redditus est matri suæ puer, quæ illi compatiebatur de sanguinis visâ effusione.**PRÆL. II.** Hærendum adhuc in speluncâ Bethleëm.**PRÆL. III.** Petere, ut cum B. Virgine, dolori Christi compati possimus.**PUNCTUM. I. PFRSONÆ. MEM.** Aspicere B. Virginem antè factam Circumcisionem.**INTEL.** Consideremus in illa sollicitudinem adimplendi legem, quamvis sibi gravem, & graviolem, quàm aliis matribus, ob majorem dilectionem erga Filium, habebat tamen donum fortitudinis à Spiritu Sancto, ut hæc omnia postponeret voluntati, ac legi Dei. **REFL.** Cogitemus quàm leve sit, cui nos cedimus, & cui postponimus Legem, & Regulas nostras.**VOL.** Humiliemus nos propter tantam ignaviam, & sequamur exemplum, & fortitudinem Virginis Matris.**PUNCTUM. II. VERBA. MEM.** Audire B. Virginem offerentem Deo futuram Filii sui circumcissionem, quantumvis sibi sensibilem.

INTEL. Credibile est B. Virginem his aut simili-
bus verbis Deo locutam esse : *Tribulatio, & angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.* Ps. 118. REFL. Nos dum molesta aliqua Regula adimplenda venit, toti hæremus in cogitatione tribulationis, & angustiae; ad meditationem mandati non progredimur.

VOL. Agnoscamus culpam nostram, & exemplo B. Virginis legem Dei potius meditemur, quàm adjunctas molestias.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Post Circumcisionem, compatiabatur Mater Filio de sanguinis effusione.

INTEL. B. Virgo, cum Josepho, & totâ familia erat in luctu, & dolore, compatiendo doloribus Christi, ut discamus, si proximè Christo adhærere cupimus, & de familiâ ejus esse, quod debemus, cum eo laborare, dolere, pati. REFL. Examinemus nos, an simus de familia Christi cum MARIA, & Joseph; an scilicet Christo compatiemur.

VOL. Offeramus nos Christo, sicut in Consecratione templi Regni Christi fecimus, ad illum sequendum, in iisdem laboribus, casibus, & cæteris omnibus, in quibus illum viderimus præcedere; & ad compatiendum prompti simus.

COLLOQ. Ad Josephum, B. Virginem, Christum circumcisum, & Deum Patrem, petendo gratiam, & donum fortitudinis, ad Crucem cum ipso ferendam, quam ab Infantiâ nunc cœpit ferre
RECOLL.

MEDITATIO XXI.

De Tribus Magis Regibus. Matth. 2.

Myt. punct. 1.

CONG. Non mutatur.

PRÆL. I. Tres Magi ad Puerum Jesum adorandum venerunt Stellâ duce.

PRÆL. II. Repræsentare sibi regionem Magorum in Oriente, & Palatium Herodis Jerosolymis.

PRÆL. III. Petere, ut magis accendamus amore erga Christum, & zelo eum sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Magos in Oriente, & Herodem Jerosolymis.

INTEL. Perpendamus, quod Magi sint ex illis, de quibus Christus postea dixit: *Oves mea vocem meam audiunt.* Joan. 10. & *cognoscunt me mea.* ibid. Herodes verò, non cognoscebat Christum, sed potius fuit lupo. PRÆL. Cogitemus, an in nobis sit cognitio Christi, an vocem ejus audiamus.

VOL. Excitemus actum fidei erga Christum: & renovemus propositum non obsurdescendi vocante nos Christo.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Magi dixerunt: *Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2.

INTEL. Revera Magi illi, non obsurduerunt vo-

H 3

cante

cante eos Christo ; Sed prompti fuerunt ad sequendum ; hoc patet ex verbis illis : *vidimus . . . & venimus*. REFL. Cogitemus , an nos quoque semper dicere possimus : *vidimus . . . & venimus*. Sæpè videmus Christum vocantem , & non venimus.

VOL. Timeamus , ne nobis exprobretur in die iudicii , *vocavi & renuistis*. Prov. 1. Ideò exemplo Magorum prompti simus. Dicamus Christo : *Sequare te , quocunque ieris*. Matth. 8.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam*. Matth. 2.

INTEL. Magi erant ex numero eorum , de quibus postea dictum est : *omnis qui reliquerit domum , vel Fratres , aut sorores . . . &c. propter nomen meum*. Matth. 19. REFL. Videmur idem fecisse propter nomen Christi , quando venimus ad societatem ejus : *Qui autem perseveraverit usque in finem , hic salvus erit*. Matth. 10.

VOL. Gratias agamus pro illâ vocatione ; sed memores vivamus illius monitionis. 2. Pet. 1. *Quapropter Fratres , magis satagite , ut per bona opera certam vestram vocationem , & electionem faciatis*.

Colloq. Ad Christum , renovando ita proposita Contempl. *Regni Christi* , ut dicamus : *ne permittas me separari à te* , & donum perseverantiæ flagitemus. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXII.

De Tribus Magis Regibus. Matth. 2.

Myst. punct. 2.

CONG. Objicere sibi puncta meditationis, & reliqua; ut ante dictum.

PRÆL. I. Magi Jerosolymâ pergunt in Bethleëm, & adorant Christum, dantes munera.

PRÆL. II. Intueri viam, usque ad domum, in quâ erat Christus.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut amore Christi impulsus ipsi me totum offeram.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Videre Magos Stellâ duce pergentes in Bethleëm.

INTEL. Consideremus illos plenos gaudio spirituali, eoque ingenti, *videntes autem Stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.* Matth. 2. tale gaudium, non poterat inveniri in Aulâ Herodis.

REFL. scrutemur attentè interius nostrum gaudium: nam sicut *sapientia... hujus mundi, stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 3. Sic, quidquid solatii oritur à carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellione, est *stultitia, gaudium stulto.* Prov. 15.

Vol. Abhorreamus à gaudio illo stulto, anhelamus ad gaudium, quod Stella illa attulit Magis, & quod Angelus evangelizavit Pastoribus.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Audire quid loquantur Magi pergentes in Bethleëm.

INTEL. Cogitemus illos his, aut similibus verbis invicem excitasse. *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. &c. Venite adoremus & procidamus ante Deum.* Ps. 94. REFL. Convenit Sacerdotes pari affectu Psalmum illum quotidie legere.

VOL. Languorem nostrum accusemus in divino officio recitando, deseramus Aulam mundanam Herodis, & piis colloquiis, & Psalmis excitemus nos ad adorandum in Bethleëm.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Intrantes domum... procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matt. 2.

INTEL. Hoc est, quod didicimus in Contemplatione Regni Christi, quod, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos... *Majora & praeclariora quadam munera oblaturi sunt.* REFL. Inspiciamus quomodo offeramus Deo tria vota Religionis. Nam paupertas, per aurum oblatum; Castitas per Myrrham; holocaustum obedientiae, per thus significatur.

VOL. Nos quoque procidentes adoremus Christum: & totos nos, quanti sumus, ipsi offeramus in holocaustum, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Caelis, & incarnatus est ex Maria Virgine. & homo factus est.*

COLLOQ. Ad Christum à magis adoratum renovando

vando omnia, quæ in *Contempl. de regno Christi*,
meditati sumus, gratiam, uberem postulantes ad
illa exequenda. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIII

De tribus magis Regibus. Matth.

Myft. punct. I.

CONG. Ut jam dictum.

PRÆL. I. *Responsa accepto in somnis, ne redi-
rent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in
Regionem suam. Matth. 2.*

PRÆL. II. Inspicere illam aliam viam.

PRÆL. III. Petere illa dona & illas gratias, quas
magi à Christo acceperunt,

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Intueamur tres
magos redeuntés per aliam viam.

INTEL. Contemplemur illos ornatos tribus vir-
tutibus Theologicis, aliisque: donis, item & fru-
ctibus Spiritus Sancti. Nam Christus numquam
finit se liberalitate vinci. REFL. Cogitemus nos
ideo minùs ornatos esse illis gratiis, quia minùs
liberales sumus erga Deum.

VOL. Relegamus attentè Reg. 19. Summ. in quâ
agitur de liberalitate nostrâ erga Deum, & Dei
erga nos: illamque sedulò studeamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire quid Magi reduces ad suos loquantur.

INTEL. Perpendamus illos intra se non contemniffe illa, quæ viderant & cognoverunt, sed in oriente Evangelizaverunt gaudium magnum Apostolico zelo. REFL. Examinemus zelum nostrum, qui juxta vocationem nostram debet esse Apostolicus.

VOL. Statuamus obtemperare monenti Apostolo Ephes. 4. *Obsecro itaque vos ego vinculus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, quâ vocati estis.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Responsa accepta in somnis, ne redirent ad Herodem.* Matth. 2.

INTEL. Agnoscamus hinc providentiam, & curam, quam Deus habet de suis. REFL. Cogitemus quàm immeritò, sumus timidi & non fidentes.

VOL. Excitemus actum spei & fiducia: Scriptura est plena hoc affectu.

COLLOQ. Ad Christum, petendo gratiam, ut cum ingenti fiducia totos nos ipsi devoveamus non dubitantes de ipsius in nos liberali curâ.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXIV.

De Purificatione B. Virginis, & Pueri
JESU presentatione, Luc. 2.

Myst. punct. I.

CONG. Ut solet in hac hebdomada.

PRÆL. I. Detulerunt puerum in templum, ut præsentarent eum Domino, tamquam primogenitum; offerentes pro eo, *parturturum, aut duos pullos columbarum.* Luc. 2.

PRÆL. II. Mente concipere situm templi.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut magis ac magis ad imitationem Christi, & Matris ejus inardescam.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueri B. Virginem, & Josephum, qui *tulerunt illum in Jerusalem.* Luc. 2.

INTEL. Neque puer Jesus erat persona subiecta legi, cujus erat Dominus. Neque B. Virgo tota pura, quæ neque concipiendo, neque pariendo ullam immunditiam, aut naturalem, aut legalem contraxerat: tamen ita se gerunt, ac si essent legi subiectæ. REFL. Cum nos simus immundi, & multis titulis mandatis Dei, Ecclesiæ, legibus statûs nostri subiecti, ita nos gerimus, ac si essemus exempti.

VOL. Fateamur hoc oriri ex superbiâ nostrâ, ex amore proprio & mundano: humiliemus nos coram Deo, & etiam coram hominibus. *Elegi abje-*

ctus

Etus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ps. 83. Hoc testentur mores nostri.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Cogitate quid B. Virgo dixerit, offerens Filium suum: sacerdoti

INTEL. In hunc modum inducitur loquens Cornelio : *En Pater aeternae, hic est Filius tuus quem pro salute hominum ex me carnem sumere voluisti. Ego tibi eum reddo, & in solidum offero, ut de eo aequè ac de me facias, quod placuerit ; ac per eum redimas mundum.* Hac dicens obtulit eum sacerdoti, quasi Vicario Dei, à quo deinde quinq; siclis eundem redemit, uti praescribat Lex. Ità noster Cornelius. REFL. Discamus nos & omnia nostra tam perfectâ intentione Deo offerre.

VOL. Hos affectus B. Virginis induamus: quando ex Contempl. Regni Christi, dicimus : *En ò Rex supreme, &c. me tibi penitus offero.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Obtulerunt juxta legem, *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Luc. 2.

INTEL. Ratiocinemur Christum & B. Virginem hic professos esse statum pauperum. Nam divites debebant offerre agnum in holocaustum. REFL. Si velimus Christum proximè sequi, non tantum indifferentes ad paupertatem & divitias esse debemus; sed etiam paupertatem eligere, dum modò in majus Dei obsequium cedat.

VOL. Sic sequamur Christum, & renovemus id quod in hunc sensum in Contempl. Regni Christi ipsi addiximus, & testati sumus. COR.

COLLOQ. Conforme eidem Contemplationi,
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXV.

*De Purificatione B. Virginis, & Pueri
JESU Presentatione, Luc. 2.*
Myft. punct. 2.

CONG. Eodem modo.

PRÆL. I. Quomodo Simeon acceperit puerum
in ulnas, dicens: *nunc dimitis.* &c. Luc. 2.

PRÆL. II. Iterum repræsentare sibi situm templi.

PRÆL. III. Petere gratiam, exemplo Simeonis
Jesum amplectendi, & amandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculis objiciamus
Simeonem in templum ingredientem.

INTEL. De personâ illâ dicitur Luc. 2. *Et homo
iste justus, & timoratus, expectans consolationem
Israël, & Spiritus S. erat in eo.* REFL. Compare-
mus nostram justitiam, nostrum timorem Domi-
ni, nostram spem futuræ gloriæ; tum dona, fru-
ctusque Spiritus Sancti, cum illis Simeonis.

VOL. Agnoscamus nos procul abesse ab istis vir-
tutibus, atque anhelemus ad Spiritum Sanctum;
ejusque dona ac fructus singulos statuamus fre-
quenter meditando postulare.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Simeon habens
JESUM in ulnis, dixit *nunc dimittis* &c. & ad
MARIAM, de puerò, quod sit *signum, cui contradic-*
etur, & de ipsâ: tuam ipsius animam pertransibit
gladius. Luc. 2.

INTEL. Ex Cantico illo Simeonis discamus cha-
ritatem erga Christum, & *desiderium collium*
aternorum. Gen. 49. Ex dictis ad Mariam, quod
si Christum velimus sequi, debeamus nos parare
ad patiendum. REFL. Videamus, an constantes
fuerimus in proposito sequendi Christum, *in fe-*
rendis injuriis, & adversis omnibus.

VOL. Dum Christum habemus in Sacrà Com-
munionem, dicamus canticum, cum Simeone; &
renovemus propositum sequendi Christum, *in*
injuriis, & adversis omnibus.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Simeon venit in
Spiritu in Templum. Luc. 2.

INTEL. Notemus hoc esse, quod Apostolus mo-
net Gal. 5. *Spiritu ambulate.* REFL. Si in nobis re-
gnant etiamnum desideria carnis, signum est, quod
spiritu non ambulemus.

VOL. Imitemur Simeonem, & spiritu ambule-
mus, & in spiritu omnia faciamus, caveamusque
nobis à desideriis carnis, neque tantùm à fornica-
tione, immunditia, impudicitia, luxuria; Sed
etiam à contentionibus, æmulationibus, irâ, rixis,
dissensionibus &c. Nam hæc omnia inter deside-
ria carnis numerantur ab Apostolo Gal. 5.

COL. Ad Christum petendo gratiam eum toto corde amandi, sequendi *in injuriis*, & adversis omnibus, & desideria omnia carnis superandi, & expugnandi.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO. XXVI.

*De Purificatione B. Virginis, & Pueri
JESU Presentatione, Luc. 2.*

Myft. punct. 3.

CONG. Non mutatur in hac hebdomadâ.

PRÆL. I. Anna *supervenit*, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Luc. 2.

PRÆL. II. Circumspicere templum, quò Anna supervenit.

PRÆL. III. Petere gratiam proficiendi in amore Christi, ex iis, quæ ab Anna gesta fuerunt.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere personam Annæ Prophetissæ filix Phanuel, de tribu Aser.

INTEL. *Vixerat cum Viro suo annis septem à Virginitate sua. Et hæc Vidua usque ad annos octoginta quatuor.* Luc. 2. laudatur in Anna castitas virginalis, conjugalis, & vidualis. REFL. Cogitemus quomodo hæctenus pugnaverimus contra rebellionem

lionem carnis, qui hostis insidiatur castitati.

VOL. Amemus Christum, qui amore casto vult amari, invocemus Spiritum Sanctum, cujus duo ultimi fructus numerantur, *continentia, castitas*. Gal. 5.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Anna Confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus.* Luc. 2.

INTEL. Notemus ordinem. prius loquendum, & confitendum Deo in oratione; deinde aliis de Deo loquendum. REFL. Nos homines societatis, non sumus apti, ut de Deo loquamur cum proximo, nisi antea, benè exercitati fuerimus in oratione.

VOL. Faciamus cum Davide apud Deum tale propositum: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, deinde, post meditationes, exercitia toto corde facta, aliis *narrabo omnia mirabilia tua*. Ps. 9. in concionibus, in privatis colloquiis, &c.

PUNCTUM III. MEM. *Anna non discedebat de templo; jejuniis, & obsecrationibus serviebat nocte ac die.* Luc. 2.

INTEL. *Bona est oratio cum jejunio.* Tob. 12. Christus postea per 40. dies vacans orationi, jejunavit: & quia additur Tobiae 12. *& eleemosynas distribuit deinde eleemosynas*, faciens opera misericordiae corporalia, & spiritualia. REFL. Haec est vita hominum Societatis Jesu, vacare obsecrationibus, & exercitiis spiritualibus nocte, & die; tum per Regulas *de victu temperando*, & per pœnitentias in victu, expugnare rebellionem

sensuum, nominatim *gustus*. Denique inter proximos facere opera misericordiæ corporalia, & spiritualia.

VOL. Proponamus apud animum nostrum hæc omnia diligenter observare.

COLLOQ. Ad Christum in templo præsentatum, postulando, ut sicut Annæ, sic etiam, & nobis det gratiam orationis; ac deinde zelum coram aliis rectè de rebus divinis loquendi. **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO XXVII.

De fugâ in Ægyptum. Matth. 2.

Myst. punct. 1.

CONG. Propria huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Herodes volens Jesum occidere, occidit innocentes præmonito Joseph per Angelum, ut in Ægyptum fugeret.

PRÆL. II. Videre longitudinem, cœterasque proprietates itineris in Ægyptum.

PRÆL. III. Petere, ut ex hoc mysterio animos sumamus generosè Christum per adversa sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus familiam Herodis: inde convertamus oculos ad familiam Christi.

INTEL. Inveniemus Herodem cum suis subactum à *carnis sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellionem*: ex adverso Christum contemplemur, à quo procul illi nequam hostes; loco quorū prædi-

I tum

Etum de eo est. Isa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientia, & intellectus,* &c. cujus Spiritus MARIA, & Joseph participes fuerunt. REFL. Inquiramus, an aliquatenus non sumus participes Aulae Herodianaë.

VOL. Detestemur illam, & abhorreamus à miserimâ servitute sub illis quatuor hostibus: & amplectamur totoque corde sequamur familiam Christi. *Benignus est enim Spiritus Sapientia.* Sap. 1.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus apud Herodem sermones de Christo occidendo, apud Christum de Deo ejusque laudibus.

INTEL. Ratiocinemur, sicut familiæ illæ contrariis spiritibus aguntur; Sic contraria esse, in illis colloquia, & consilia. REFL. Consilia, & Colloquia nostra examinemus, ut sciamus quo spiritu agamur.

VOL. Supplicemus Christo, ut nos participes faciat Spiritus sui, & ut nos illuminet ad bene percipiendas Regulas *de discernendis spiritibus.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Herodes *mittens occidit omnes pueros.* Matth. 2. Deus ex adverso per Angelum monet Josephum: *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Egyptum.* Matth. 2.

INTEL. Ratiocinemur, quàm verè dictum sit. Ps. 32. *Dominus dissipat consilia gentium... & reprobat consilia Principum: consilium autem Domini in æternum manet.* REFL. Perpendamus stultitiam, & ignaviam nostram, quod timeamus tam potentem Regem sequi.

VOL. Insistamus illis verbis : *En ò! Rex supreme, ac Domine universorum, &c.*

COLLOQ. Conforme Contemplationi Regni Christi.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXVIII.

De fuga in Ægyptum. Matth. 2.

Myft. punct. 2.

CONG. Non variatur.

PRÆL. I. Joseph *consurgens nocte, &c. secessit in Ægyptum. Matth. 2.*

PRÆL. II. Iter in Ægyptum, sibi imaginari.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut ex hoc mysterio discam Spiritum indifferentiæ, & obedientiæ.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Considerare interiorem animum MARIÆ, & Josephi, cognito mandato fugiendi.

INTEL. Apparuit summa indifferentia erga res creatas omnes, erga Patriam, & alias Regiones; erga incommoda itineris, & commoda quietis, inde oriebatur pax, & alacritas animi. REFL. Exploremus ad hoc exemplum indifferentiam nostram.

VOL. Amemus Regulam summ. 36. quæ dicit, quod omnes, *se ferri ac regi à divinâ providentiâ per Superiores suos sinere debent perinde, ac si cadaver essent. . . vel similiter atque senis baculus, &c.* hoc faciamus, ut habeamus pacem interiorem.

PUNCTUM II. VERBA, MEM. Indagemus verba
 MARIÆ, & Joseph ad illud mandatum.

INTEL. Credibile est Josephum dixisse promptè
 cum Isaia cap. 6. *Ecce ego, mitte me.* MARIAM
 verò cum ex Josepho audiret hoc mandatum, dix-
 xisse iterum: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi se-
 cundum verbum tuum.* Luc. 1. REFL. Exemplum
 MARIÆ, & Joseph, qui hæc vel similia dixerunt,
 docet nos quomodo mandatis Superiorum re-
 spondendum sit.

VOL. Statuat deinceps laudare mandata Dei
 per Superiorem significata, *licet difficilia, & se-
 cundum sensualitatem repugnantia jubeat.* Reg-
 summ. 3 1.

PUNCTUM III. OPERA, MEM. *Qui consurgens
 accepit puerum, & Matrem ejus nocte, &
 secessit in Ægyptum.* Matth. 2.

INTEL. Ratiocinemur hanc obedientiam, sive
 tempus, sive alia spectemus: fuisse ex omni parte
 perfectam. REFL. Conferamus cum hac obedi-
 tiam nostram.

VOL. Doleamus de tarditate, & imperfectione
 nostra in obediendo: Scrutemur pulcherrimas
 Regulas de hac virtute in *Summario*, & singulas
 perfectiones, quæ ibi exprimuntur, conemur in
 nobis quoque exprimere.

COLLOQ. Ad Christum in Ægyptum fugien-
 tem, petendo humillimè gratiam indifferentiæ, ex
 quâ oriatur perfecta obedientia. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIX.

De fuga in Ægyptum. Matt. 2.

Myſt punct. 3.

CONG. De more.

PRÆL. I. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.*
Matth. 2.PRÆL. II. Videre Regionem Ægypti, in qua
Christus fuit.PRÆL. III. Petere à Christo, ut ex mansione
ipsius in Ægypto proficere possim.PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus ho-
mines in Ægypto degentes, & Christum cum
Matre suâ, & Josepho.INTEL. Contemplemur has personas tres, tam-
quam Stellas quasdam, lucentes in tenebris su-
perstitionum, quibus populus ille deditus erat.
Christus ibi tamquam vera *lux in tenebris lucet,*
& *tenebræ eam non comprehenderunt.* Joan. 1.REFL. Nos id agamus, ut simus ex illis, de quibus
ibidem dicitur: *quotquot autem receperunt eum,*
dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui cre-
*dunt in nomine ejus.*VOL. Eliciamus actum veræ fidei, *verè filius*
Dei es. Matth. 14. succedat actus charitatis, *ut fi-*
lii Dei nominemur, & simus. 1. Joan. 3.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire easdem personas loquentes.

INTEL. De Ægyptiis dici potest. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Ps. 11. de Maria verò, & Josepho: *laudationem Domini loquetur os meum.* Ps. 144. REFL. Videamus autem sermones nostri sint similes Ægyptiorum, aberrantes à fine creationis.

VOL. Renovemus quæ proposuimus nobis loquenda in *Fundamento*, & omnia verba nostra dirigamus ad finem creationis nostræ: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Ps. 50.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Matth. 2.

INTEL. Notemus, MARIE, & Josephi, sic Christo inspirante, perseverantiam in perficiendis divinis mandatis. REFL. hæc est Regula summ. 3. quæ non solum vult, ut *cum magna celeritate, & spirituali gaudio*; sed cum magna etiam *perseverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeamus.*

VOL. Tanto zelo, statuamus cum perseverantiâ, & omni perfectione, exercere obedientiam; ut de nostra societate Jesu dici possit. *Filii sapientia, Ecclesia justorum: & natio illorum obedientia, & dilectio.* Eccl. 3. Concipiamus ingentem zelum pro hac obedientiâ: quia quamdiu in societate vigeat obedientia: tamdiu vigeat unio, dilectio, & charitas.

COLLOQ. Ad Christum, qui à puero dedit nobis exem-

exemplum obedientiæ, quam produxit *usque ad mortem, mortem autem crucis*. Phil. 2. postulando gratiam, ut in hoc proximè illum sequamur.
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXX.

De reditu ab Ægypto. Matt.

Myft punct. 1.

CONG. Ut pridem exposita est.

PRÆL. I. Admonetur Joseph ab Angelo, ut in terram Israël revertatur.

PRÆL. II. Inspicere locum hujus admonitionis, & iter remetiendum.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut ex hoc mysterio affectum erga B. Virginem, & S. Josephum concipiamus, ut sic magis Christum in Matre & Nutritio ejus honoremus, & amemus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Considerare Personas *MARIÆ* & Josephi, & quas gratias à Christo acceperint.

INTEL. Consideremus in illis tres fructus Spiritus Sancti *Pacem*, sine anxietate; *Patientiam*, in exilio; *Longanimitatem*, sine tædio moræ, quamvis mora esset incerta: *esto ibi usque dum dicam tibi*. Matth, 2. REFL. Examinemus nos in hisce tribus fructibus. S.

VOL. Humillimè petamus illos fructus: *hostem*

*repellas longius pacemque dones protinus. Conso-
solator optime, dulcis hospes anima, dulce refri-
gerium.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Angelus Josepho di-
xit: *surge & accipe puerum, & Matrem ejus.*
Matth. 2.

INTEL. Animadvertamus, quod Angelus num-
quam Josephum vocaverit Patrem, aut Christum
ejus Filium, ut sciamus B. Virginem sic esse Ma-
trem, ut Christus in generatione humanâ nullum
habuerit Patrem: ex quo oritur B. Virginis di-
gnitas, nulli alteri concessa. **REFL.** Inquiramus,
an habeamus tenerum affectum & venerationem
erga hanc Virginem Matrem: Nam hoc est signum
aliquod prædestinationis, & hic est Spiritus san-
ctarum Personarum, honorantium Christum in
ejus Matre, & spiritus contrarius spiritui hæreti-
corum.

VOL. Quotidie in recitandâ coronâ, & etiam
aliàs, veluti in officio divino, cum singulari de-
votione dicamus *Ave Maria &c. Sancta Maria
Mater Dei, &c.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Causam inquiramus,
cur nunc bis Angelus apparuerit Jose-
pho, & non B. Virgini.

INTEL. Ratiocinemur causam fuisse, quod S. Jo-
sephus electus sit à Deo, tamquam Nutritius, ut
Christo puero, ejusque Matri serviret, in tam mo-
lestis præsertim casibus: in quo magna felicitas, &
dignitas apparet S. Josephi. **REFL.** Ad nos etiam
spectat (nam ad id creati sumus) Christo, tum in
se, tum

se, tum in Matre ejus servire, sic quoque felices & salvi fitemus.

VOL. Gratulemur S. Josepho; anhelemus ad patrem felicitatem. Quando Christum habemus in Eucharistiâ, eliciamus affectus, quos elicuissemus, si S. Josepho in Ægypto & itinere comites fuissetemus.

COLLOQ. Ad B. Josephum, B. Virginem, Christum & ad Deum Patrem, petendo gratiam Christo dignè serviendi: Nam vidimus *neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat & addicat.* RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXI.

De reditu ab Ægypto. Matth. 2.

Myft. punct. 2.

CONG Quando manè evigilo facere, sicut supra dictum est.

PRÆL. I. Joseph *consurgens accepit puerum & Matrem ejus, & venit in terram Israel.* Matth. 2.

PRÆL. II. Intueri Ægyptum, iter in terram Israël, quò redeundum.

PRÆL. III. Postulare gratiam, ut magis in decreto Christum sequendi confirmemur.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videre sanctam illam Familiam jam accinctam ad egressum ex Ægypto.

I s

In-

INTEL. Perpendamus, tantam veræ Religionis virtutem à Christo, totâque illâ familiâ Ægyptiis relictam, tam salutarem memoriam sanctissimorum morum, ut postea Ægyptus evaserit quasi paradisos innumerorum Eremitarum Christo servientium. REFL. Sic nos quoque oportet implere per bonos mores nostros id, quod scriptum est 2. Cor. 2. *Deus odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus.*

Voc. Æmulemur hæc charismata meliora, & proponamus nobis servandam Regulam 10. *Per regnorum. Cum in itinere ad Collegia, vel domos societatis divertent, studeant omnes bonum edificationis odorem exemplo vitæ ac morum nostris relinquere, &c.* & Regulam 8. & 9. de benedificandis externis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire verba Angelus ad Josephum, *vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Matt. 2.

INTEL. Intelligamus Dei providentiam, quæ attingit... à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Sap. 8, non turbat cursum rerum humanarum; reliquit Herodem potestati liberi arbitrii sui; & tamen voluntatem suam ubique implet, & finem suum assequitur. REFL. Discerte totum committere Providentiæ Dei.

VOL. Nos totos in sinum Dei conjiciamus: certum quod non est consilium contra Dominum Prov. 21. *Quare fremuerunt gentes? &c.* Ps. 2.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Joseph *consurgens accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israel.* Matt. 2.

INTEL. Perpendamus labores, & incommoda itûs, & reditûs ex Ægypto. **REFL.** Si velimus Regem nostrum sequi, *in iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus cæteris* cum eo persistendum erit.

VOL. Summo iterum affectu dicamus: *En o! Rex supreme &c.*

COLLOQ. Conforme Contemplationi Regni Christi.

RECOLLECTIO. REPETITIO APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXXII.

De reditu ab Ægypto. Matth. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. Servire Christo tantò propensius; quanto incredibilior ejus erga nos est bonitas: & cætera, sicut antè explicatum est.

PRÆL. I. Joseph ingrediens terram Israel, eò quod regnabat Archelaus filius Herodis in Judæa, recessit in Nazareth.

PRÆL. II. Quandam figuram itineris ex Ægypto in terram Israël, & in Nazareth concipere.

PRÆL. III. Petere gratiam, virtutes, quæ in isto negotio, & itinere eluxerunt, imitandi.

PUN.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Considerare virtutes, quæ in Josepho, & MARIA, cum Christo, qui modò hujus, modò alterius brachiis portabatur, per totum illud iter illuxerunt.

INTEL. Ratiocinemur super omnia emicuisse charitatem, cum omnibus proprietatibus, quas enumerat Apostolus 1. Cor. 4. *Charitas patientia est, benigna est.* &c. REFL. Expendamus nostram charitatem ad easdem proprietates.

VOL. Fateamur nos procul abesse ab illâ tam perfectâ charitate : credamus nobis dictum ab Apostolo 2. Thessal. 3. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientiâ Christi.* vel sic oremus cum Ecclesiâ in officio Divino: *Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra, in charitate Dei, & patientiâ Christi.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire MARIAM, & Josephum in itineribus illis colloquentes inter se.

INTEL. Cogitemus inter alia in hunc ferè sensum illos etiam fuisse locutos. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquiremus.* Hebr. 13. Et nos debemus memores esse monitionis. 1. Pet. 2. *Charissimi obsecro vos, tamquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis.* &c.

VOL. Humiliemus nos, quod tot carnalia desideria, *quæ militant adversus animam,* 1. Pet. 2. nobis in mentem veniant, cum simus peregrini, & transeuntes, expugnemus illam rebellionem, ut possimus

possimus Christum sequi: & dicamus Deo: *cantabiles mihi erant justificationes tua; in loco peregrinationis mea.* Pf. 118.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Joseph audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ; & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. Matth. 2.

INTEL. Ratiocinemur, quod Joseph præ oculis habuerit illud Eccli 4. *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Sed in hoc casu confugit ad Deum, juxta illud: *in omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Prov. 5. Sic enim direxit gressus Joseph usque in Nazareth.

REFL. Nos quoque dum in similibus casibus incerti sumus, similiter ad Deum confugiamus.

VOL. Excitemus actum spei, & fiducia in Deum, quod ipse pariter sit directurus gressus nostros, si ad ipsum confugerimus, & oraverimus: *cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paralip. 20.

COLLOQ. Ad Christum Dominum universorum, postulantes, ut per gratiam ipsius excutiamus omnem timorem, & cum magnâ fiduciâ, petamus donum *Consilii* in casibus dubiis. **RECOLLECTIO.**

MEDI-

MEDITATIO XXXIII.

De Vita Domini, ab anno ætatis suæ duodecimo, usque ad trigesimum Luc. 2.

Myst. punct. 1.

CONG. More hujus hebdomadæ.

PRÆL. I. Christus subditus erat, & obediens Parentibus.

PRÆL. II. Imaginari sibi domum, in quâ Christi stus habitavit in Nazareth.

PRÆL. III. Postulare gratiam, exemplo Christi tum legum, tum superiorum mandatis obediendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos convertere ad personam Christi, jam duodecim annis majorem, commorantem cum Matre suâ & Nutritio.

INTEL. Contemplemur, oculos ejus, gestus, mores, & totam corporis compositionem; scrutemur interna ejus studia. Dirigebat ipse totum se ad hoc, ut placeret, serviret, & obediret Matri suæ, & Josepho. REFL. Hoc exemplo docti, si velimus sequi Christum, debemus similiter nos totos componere ad obediendum superioribus, cum *internâ reverentiâ, & amore* erga eos, sicut exigit Reg. 31. summ.

VOL. Anhelemus ad perfectam obedientiam, ut Christo assimillemur. juxtâ Reg. summ. 31. *Superio-*

rem

rem (*quicumque ille sit*) loco Christi Domini nostri, agnoscamus : & attendamus juxtà Reg. 33. etiam ad *signum voluntatis superioris, sine ullo expresso precepto.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum inter alacres illos obedientiæ actus loquentem.

INTEL. Verbo, & facto nobis inculcat illud Deuter. 5. *Honora Patrem tuum. & Matrem.* Item illud Hebr. 13. *Obedite prepositis vestris, & subjacete eis. ipsi enim pervigilant ... ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* **REFL.** Habemus hîc, ad quod nos examinemus.

VOL. Excitemus affectum amoris erga Christum, propter tantam bonitatem, quâ nobis dignatus est dare tam suave exemplum obedientiæ: agamus gratias, sequamur ipsum.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et erat subditus illis.* Luc. 2.

INTEL. Contemplemur Christum non tantum nos hortantem verbo; sed opere ipso nobis in obediendo præeuntem. Intueamur, quàm celeriter, quàm promptè, quàm integrè, de mane ad vesperam omnia exequatur, quæ vel signo Mater aut Joseph, ostendebant sibi placitura. **REFL.** Ad hæc iterum exploranda sunt opera obedientiæ nostræ.

VOL. Exclamemus: o! Beata, & felix familia religiosa, ubi sic obeditur! Enitatur omnes ad hanc virtutem, ita societati nostræ à Fundatore commendatam.

COL-

COLLOQ. Ad Christum humillimis precibus petendo, ut nobis gratiam perfectæ obedientiæ dignetur largiri juxta Regulas nostras *de obedientiâ*, in quibus vita Christi ab anno duodecimo, quasi depingitur.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXXIV.

De Vita Domini, ab anno ætatis suæ duodecimo, usque ad trigesimum Luc. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. De more.

PRÆL. I. *Christus proficiebat scientiâ, et ætate, & gratiâ, Luc. 2.*

PRÆL. II. Imaginari sibi eandem domum in Nazareth.

PRÆL. III. Petere, ut inspectâ vitâ Christi in domo maternâ, crescat in nobis amor erga illum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum proficientem *ætate*; modò quindecim, modò viginti, modò plurium annorum.

INTEL. Contemplemur ipsum in omni ætate illâ, quia erat *speciosus formâ præ filiis hominum Ps. 44.* & illa species maximè oriebatur ab interiori: *quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis. Col. 2.* REFL. Concludamus nihil inveniri, quod à nobis meri-

meritò debeat amari, præter Regem tam speciosum, & amabilem.

VOL. Totos nos effundamus in actus amoris erga Regem talem. Cohabitemus illi, cum MARIA, & Joseph, nec umquam divellamur ab illo: *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tadium convictus illius; Sed latitiam, & gaudium.* Sap. 8.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Jesus proficiebat... atate, & gratiâ.* Luc. 2.

INTEL. Ratiocinemur quod de illo dictum sit Ps. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis;* in verbis scilicet, & colloquiis ipsius: inde oritur latitia, & gaudium ex convictu ipsius. REFL. Confirmemus conclusionem nostram in priori puncto factam, de amando Christo super omnia.

VOL. Pergamus indulgere affectui amoris erga Regem nostrum. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* 1. Cor. 16.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Jesus proficiebat sapientiâ.* Luc. 2.

INTEL. Ratiocinemur quod Christus ipsa sit sapientia, quæ in omnibus operibus ejus elucet. Ideoque scriptum est: *Et in operibus manuum illius honestas sine defectione.* Sap. 8. REFL. Examinemus opera nostra, quoties in iis inveniatur defectio ab honestate, & à fine creationis nostræ.

VOL. Petamus hanc sapientiam in operibus nostris, dicamus Deo: *Da mihi Sedium tuarum assistricem sapientiam... ut mecum sit, & mecum labo-*

K

labo-

laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Sap. 9.

COLLOQ. Ad Christum, accusando & fatendo defectionem nostram; postulando, ut ex mysterio hoc, accedat nobis gratia ad ipsum ardentius amandum, & studiosius sequendum. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXV.

De Vita Domini, ab anno etatis suae duodecimo, usque ad trigesimum.
Luc. 2. Myst. punct. 3.

CONG. More solito.

PRÆL. I. Christus videtur fabrilem artem exercuisse. *Nonne hic est faber?* Marc. 6.

PRÆL. II. Imaginem concipere domus, in qua fabrilem artem exercuit.

PRÆL. III. Petere gratiam, imitandi mores & opera Christi Regis nostri.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertam iterum oculos mentis ad personam Christi in domo maternâ.

INTEL. Contemplemur illum, ut describitur Sap. 7. his verbis: *Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, etc.*

REFL. Cum hisce moribus comparemus nostros.

VOL. Deploremus mores nostros plurimum ab illis Christi diversos; conversi autem ad Christum, toti in amorem ejus exardescamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum dicentem: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ.* Psal. 87.

INTEL. Contemplemur horum verborum partem primam, quâ non erubescit paupertatem; sed pauperem se disertè pronuntiat; idque ut animos nobis addat, ad omnem indifferentiam respectu divitiarum, & paupertatis, ne à fine, & à salute nostrâ abducamur. REFL. Concludamus nos non esse sanæ mentis, si talibus Christi verbis non moveamur, & si pergamus erubescere pauperem vitam.

VOL. Renovemus affectum indifferentiæ: dicamus: *Metibi penitus offero, &c. cum verâ tum spiritûs; tum etiam rerum paupertate, si (inquam) Sanctissima tua Majestati placeat ad tale me vita institutum eligere, atque recipere.* Offeramus nos quoque ad effectus paupertatis sentiendos juxta Regulam 24. summ.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Videamus Christum fabri opera facientem. *Nonne hic est faber?* Marc. 6.

INTEL. Consideremus nunc alteram partem verborum prioris puncti: *Et in laboribus à juventute meâ.* REFL. Concludamus, quàm ignavi milites simus nos, qui sub tali Rege, qui nobis verbo, & opere inculcat: *Quisquis eò mecum venire*

cupit, laboret mecum necesse est, &c. tantoperè laborem horremus.

VOL. Excutiamus, & detestemur ignaviam nostram: erigamus animos, & à rebus vanis, & mundanis nos recipientes, ad laborandum cum Rege nostro aspiremus. Simus *pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Jacob. 2.

COLLOQ. Ad Christum extollendo summam ipsius in nos bonitatem, de quo scriptum est 2. Cor. 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives: ut illius inopiã vos divites essetis.* Agamus gratias pro tanto in nos amore, postulando dona, & fructus Spiritus Sancti, ut tanto amorì respondeamus, ipsique tantò studio- siùs serviamus, & adhærescamus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

N O T A.

Sequuntur Meditationes, quæ singulari quodam modo spectant, & dirigendæ sunt, ad statum *secundam, sive perfectionis Evangelicæ, vide librum Exercitiorum, & Explanations.*

MEDI-

MEDITATIO XXXVI.

De Ascensu in Templum anno duodecimo.

Luc. 2. Myst. punct. 1.

CONG. Ut ante dictum, quod simul atque excitator à somno, meditationem proximè instantem debeo menti objicere, ac desiderium provocare cognoscendi clariùs incarnati aterni verbi, ut ipsi serviam, & adhaescam tantò propensius, quantò incredibiliorem, erga me bonitatem ejus perspexero.

PRÆL. I. Natus Jesus annos duodecim, è Nazareth profectus est Hierosolymam.

PRÆL. II. Iter illud sibi imaginari.

PRÆL. III. Petere gratiam Christum imitandi, diligenter exercendo virtutes Religionis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum duodennem, cum B. Virgine, & Josepho tendentem Jerosolymam.

INTEL. Consideremus in singulis spiritum, & virtutem Religionis, per quam interior, & exterior cultus Deo exhibetur. **REFL.** Inspiciamus qualis in nobis sit Religionis virtus interior, & exterior.

VOL. Aspiremus ad hanc virtutem, quia per illam maximè laudamus, & reveremur Deum, ad quod ex fine creationis nostræ obligamur. Imploremus deinde gratiam istius virtutis; & statuamus diligenter eidem studere.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum cum Matre, & B. Josepho in viâ loquentem.

INTEL. Non est dubitandum, quin de virtute Religionis, de reverentiâ, & cultu Deo perfolvendo multa dixerint: ac imprimis illud: *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Pl. 137. **REFL.** Optandum esset, ut nostra colloquia sint de simili argumento.

VOL. Doleamus de inutilibus colloquiis, conemurque apud omnes inferere quaedam, quæ moveant ad cultum Dei, dum colloquimur.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Cum factus esset annorum duodecim, ascendit illis Hierosolimam, &c.* Luc. 2.

INTEL. Notant interpretes Archelaum à Cesare fare eo anno propter crudelitatem pulsum in exilium. Coeterum Christus non tenebatur eâ lege Exod. 23. & Deuter. 16. quæ jubebat, ut Viri in anno adirent tabernaculum, vel templum, quia erat Dominus legis. Voluit tamen ire, ut nobis præberet exemplum obediendi in illis, quæ spectant ad cultum Dei. **REFL.** Videamus quomodo nos in illis obediamus, juxta statum nostrum.

VOL. Gratias agamus pro tantâ bonitate & curâ erga nos, quâ Christus nos instruxit exemplo, ab ipsâ juventute. Amemus tam amantem nostrum Magistrum, & studeamus illum imitari.

COLLOQ. Ad Christum, petendo gratiam
proximè illum in illis sequendi. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXVII.

De Ascensu in Templum anno duodecimo.

Luc. 2. Myst. punct. 2.

CONG. Per totam secundam hebdomadam eadem, quæ in priori Meditatione.

PRÆL. I. Quomodo JESUS remanserit in Jerusalem insciis Parentibus.

PRÆL. II. Videre Templum Jerosolymis ad quod Christus ibat.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut Christum ab ipsâ adolescentia imitari possim: vel si id neglectum sit tempus, ut nunc tantò perfectiori imitatione id possim compensare.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum duodennem, sine Parentibus in Jerusalem.

INTEL. Perpendamus & consideremus eum initium dedisse illi statui, quem postea descripsit. Matth. 19. *Qui reliquerit . . . Patrem aut Matrem, &c.* Atque ita exhibuit se exemplum status secundi, qui est evangelicæ perfectionis. REFL. Si nos reliquerimus ejus exemplo Patrem aut Matrem: inquiramus, an etiam animo & mente ac affectu eos reliquerimus juxtà Reg. 8. Summ.

VOL. Confiteamur hîc infirmitatem nostram, & Regulam illam relegamus, ac sedulè observemus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire Christum in illâ quasi solitudine sine Parentibus loquentem.

INTEL. Audiamus illum ex Ps. 26. dicentem: *Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me:* Nam sine illo Parentes discesserant. REFL. Discamus inde, quod relinqui, & amoveri à consanguineis, sit dispositio, ut Dominus assumat nos.

VOL. Gratias agamus Deo, quod nos eâ gratiâ dignos effecerit; si tamen, ut antè dicebamus etiam affectu remoti simus; offeramus nos Deo, ut assumat nos.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Videre Christum in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2.

INTEL. Ratiocinemur, quod Christus ab anno duodecimo, quando exactâ pueritiâ inchoatur adolescentia, statim initium dederit executioni finis, ob quem missus erat: scilicet, ut esset noster Doctor: & tamquam summus Doctor in medio sedebat. REFL. Cogitemus quot annos neglexerimus, antequam cœperimus benè exequi finem, ob quem creati sumus.

VOL. Doleamus de tempore pretioso neglecto: & majori zelo id deinceps compensemus. *Bonum est Viro, cum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ, Thr. 3.*

COL.

COLLOQ. Ad Christum, petendo, ut nos suâ gratiâ inflammet, ad delenda delicta juventutis, & resarcienda damna, quæ in negotio salutis passi sumus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXXVIII.

De Ascensu in Templum anno duodecimo.

Luc. 2. Myst. punct. 3.

CONGRUA. Ut supra.

PRÆL. I. Quomodo post triduum inventus sit in Templo inter Doctores.

PRÆL. II. Repræsentare sibi locum illum Templi.

PRÆL. III. Petere gratiam obediendi Christo, vocanti ad perfectionem Evangelicam.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Considerare B. Virginem, & Beatum Josephum, sollicitos in quærendo JEsu.

INTEL. Erant *dolentes*. Nam postea dicebant: *dolentes quarebamus te*. Luc. 2. Esse sine JEsu gravis est desolatio, quæ ut detergatur, quærendus est JEsus. REFL. Inquiramus causas desolationum nostrarum, & an satis disponamus nos ad consolationem, JEsu quærendo, juxtâ Reg. 9. & seqq. hebd. 1. de disc. spir.

VOL. Conjugamus studia nostra quærendi JEsu cum B. Virgine, & S. Josepho. Dicamus cum

K 5

S. Ber.

S. Bernardo: *Jesu dulcis memoria, dans ver-
cordi gaudia, &c.*

**PUNCTUM II. VERBA. MEM. JESUS ait ad il-
los: . . . Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei
sunt, oportet me esse? Luc 2.**

INTEL. Ratiocinemur, forti illâ interroga-
tione, *Nesciebatis &c.* Christum tamquam mani-
festam veritatem inculcare, deserendos esse Pa-
rentes, consanguineos, &c. Ut Deum vocantem
sequamur. **REFL.** Notemus, hoc idem esse quod
meditati sumus *in Fundamento*; abstinendum
scilicet ab rebus creatis quibusvis, quando ad fi-
nem profequendum obsunt.

VOL. Gratias agamus Deo, quod ad statum
Evangelicæ perfectionis nos vocaverit: sed con-
fundamus nos, quod postquam majora propter
ipsum reliquimus, propter res parvas sæpè obse-
quium ejus omittamus.

**PUNCTUM III. OPERA. MEM. Invenērunt illum in
Templo. Luc. 2.**

INTEL. Discamus, Christum inveniri in Tem-
plo, in oratione, & exercitiis Spiritualibus. **REFL.**
Notemus id conforme esse Reg. 6. hebd. 1. Disc.
spir. ubi docemur, *insistere orationi, &c.* dum su-
mus in desolatione.

VOL. Statuamus accuratè observare Reg.
1. com. & quotidie, rebus spiritualibus nos im-
pendere, *cum omni diligentia in Domino*, ut Chri-
stum inveniamus.

COLLOQ. Ad Christum, ut in statu Evangeli-
cæ

æ perfectionis dignè progredi, eumque in quotidianis Exercitiis Spiritualibus, invenire, & conservare possimus. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIONO SENSUUM.

MEDITATIO XXXIX.

De duobus Vexillis.

HÆc meditatio capitalis satis exponitur in libro *Exercitiorum*; præsertim si addantur *Explanationes*. De hac Meditatione sic loquitur S. P. Noster. *Transigetur hoc Exercitium semel in mediâ nocte, & alterâ vice sub auroram. Repetitiones verò duæ.... erunt faciendæ, additis in fine tribus colloquiis.* Ex quibus patet, quàm altè hæc meditatio per *Repetitiones* animo imprimenda sit, quippè cum quâ reliquæ meditationes, quæ sequuntur, connectendæ sunt.

MEDITATIO XL.

De tribus Hominum classibus.

HÆc Meditatio cum suo *Notando*, etiam satis exposita est in Libro *Exercitiorum*, & in *Explanationibus*.

MEDI-

MEDITATIO XLI.

De tribus gradibus Humilitatis.

HI tres modi humilitatis, vel in meditatione, vel extra eam, cum suis colloquiis, non possunt satis repeti, & animo versari, sicut dictum, in *Explanatione*, etiam per totum vitæ decursum, per intervalla, identidem revolvi debent, & eorum spiritu meditationes aliæ imbuantur. Quando ergo per modum Meditationis modos illos tres volumus considerare; tunc erit

CONG. Quæ semper.

PRÆL. I. Historica quædam consideratio vexilli Christi, qui omnes homines ad se vocat sub vexillo suo congregandos.

PRÆL. II. Repræsentare nobis campum amplissimum circa Hierosolymam, in quo Dominus Iesus Christus, tamquam bonorum omnium summus Dux assistat.

PRÆL. III. Petere gratiam, ad veri optimique Imperatoris Christi agnoscendos mores ingenuos, atque ad imitandum eosdem.

Puncta tria, correspondent tribus modis humilitatis, qui cum suis Colloquiis satis explicantur in libro *Exercitiorum*, & in *Explanationibus*.

MEDI-

MEDITATIO XLII.

*De Baptismo Christi. Matth. 3.
Myft. punct. 1.*

CONG. Manet, ut ante dictum.

PRÆL. I. Christus Matri valedicens ad Jordanis flumen se contulit, ubi tunc Joannes baptizabat.

PRÆL. II. Imaginari sibi domum, ubi valedixit Matri, & iter ad Jordanem.

PRÆL. III. Petere gratiam sequendi Christum, quocumque nos vocaverit.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus in Nazareth Christum, & Matrem ejus.

INTEL. Consideremus summum amorem B. Virginis erga Christum, sciebat enim *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. vicissim Christus Matrem summè amabat juxtà illud Joan. 14 *Si quis diligit me . . . & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* eratque amor ille utrimque purus, & supernaturalis. REFL. Examinemus charitatem nostram fraternam; an non innitatur potius affectui naturali, quàm supernaturali propter Deum.

VOL. Timeamus, ne in Judicio Divino, nullum aut exiguum meritum inveniamus ex nostrâ fraternâ Charitate: & observemus Reg. 29. Summ. quæ præcipit, ut Deum *quisque in alio, ut in illius imagine agnoscere studeat.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum non obstantē tanto amore mutuo, qui totum referebatur ad laudem Dei, valedicentem Matri suæ.

INTEL. Credibile est Christum his aut similibus verbis usum: Jam tempus venit, quo deinceps, *in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse* Luc. 2. Itaque discedendum, quod Pater mittit. B. Virgo verò reposuit hæc aut similia: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc.

REFL. Conferamus indifferentiam nostram cum illâ.

VOL. Renovemus affectus indifferentie conceptos in meditatione *Fundamenti.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Videamus Christum denique descendentem ad Jordanem.

INTEL. Sic implevit Christus illud, quod dictum fuerat Abrahamo Gen. 12. *Egredere a terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, &c.* item id, quod postea docuit Matth. 19. *Qui reliquerit . . . Patrem aut Matrem, &c.* Tenuitque erga Matrem spiritualem semper amorem, qui non impediebat missionem suam.

REFL. Examinemus, an juxta Reg. 8. Summus noster erga cognatos amor sit etiam sic spiritualis, ut obsequium Dei, & animarum non impediat.

VOL. Agnoscamus culpam nostram, quod sensuum rebellionem nonnumquam hinc succubimus. Petamus veniam, & decernamus Regulam illam cordi habere.

COLLOQ. Conforme Contemplationi Regule Christi

Christi, petendo gratiam, exemplo Christi, perfectissimè satisfaciendi vocationi, & missioni nostræ. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XLIII.

De Baptismo Christi. Matth. 3.

Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium clariùs cognoscendi incarnati verbi, ut suprà explicatum.

PRÆL. I. Baptizatus est à Joanne, excusante se primum de indignitate.

PRÆL. II. Conspicari locum Baptismi ad Jordanem.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum, non tantum verbo, & linguâ; sed opere, & veritate diligendi, ac sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueri JESUM ad Jordanem inter cœteros, qui venerant, ut à Joanne baptizarentur.

INTEL. Consideremus Christum, inter illos peccatores *humili quidem constitutum loco, sed valde speciosam formâ, & aspectu summè amabilem.* REFL. Examinemus, quomodo nos fugiamus humilem locum, & quàm fuerimus frigidi in amore Regis tam amabilis.

VOL. Deprimamus, & humiliemus nos ipsos, accusemusque superbiam, & tepiditatem nostram, desideriumque excitemus non modò agnoscendi;

scendi; Sed etiam imitandi ingenuos Christi mores.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum Joanni, ob indignitatem suam recusanti eum baptizare, dicentem: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem Justitiam.* Matth. 3. Nimirum per paupertatem, & humilitatem impletur omnis Justitia, quia illi perfectionis gradus *virtutes omnes statim introducunt.* REFL. Ideò nobis tot de sunt virtutes, nec implemus omnem Justitiam, quia deest *paupertas, abjectio sui, atq; humilitas.*

VOL. Renovemus affectus erga tres illos perfectionis gradus, quos in meditationes de 2. *Vexillis*, excitavimus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Tunc dimisit eum. Baptizatus autem JESUS. &c.* Matth. 3.

INTEL. Ratiocinemur Christum, id quod de baptismo suo Joanni dixerat, statim opere ipso præstitisse, & baptizatum fuisse. REFL. Nos sumus in illa classe hominum, qui paupertatem, & abjectionem sui loquuntur; at verò *media, debitaque adminicula toto vite tempore non admovent: & ad effectus paupertatis, & abjectionis sui numquam pervenimus.*

VOL. Conemur nos firmissima voluntate, collocare in tertia classe; optemusque serio, paupertatis, & abjectionis sui, effectus aliquos experiri, juxtà Reg. 14. & 24. Summ.

COLLOQ. Prout habetur post Meditationem de tribus hominum Classibus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

ME.

MEDITATIO XLIV.

De Baptismo Christi. Matth. 3.

Myst. punct. 3.

CONG. Sicut proximè dictum fuit.

PRÆL. I. Quomodo descenderit super Christum baptizatum Spiritus Sanctus.

PRÆL. II. Aspicere locum baptismi, & Cœlum super eum apertum.

PRÆL. III. Petere gratiam, imitandi proximè Christum, ut cum eo tandem in veram gloriam intrare possimus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei Cœli. Matth. 3.*

INTEL. Aperto Cœlo contemplemur cœlites: atque ipsum Deum, cum omnibus cœlitibus, cum gaudio & complacentia aspicientem Christum in illo humilitatis actu constitutum, ex quo implebatur omnis iustitia. *Oculi Domini super justos. Pl. 33.* REFL. Nos à nobis avertimus benignos illos Dei oculos ob defectum humilitatis.

VOL. Optemus, ut oculi cœlitum etiam cum complacentiâ nos respiciant, & ut possimus dicere Deo, cum Regio Propheta: *respexisti humilitatem meam, Pl. 30.*

L

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3.

INTEL. Hæc vox testatur, Christum esse filium Dei: atque adeo Regem, cui Principes, & populi omnes . . . reverentiam, & obsequium præstare debeant. REFL. Examinemus, quomodo nos hæc tenus reverentiam, & obsequium Regi illi divino præstiterimus.

VOL. Excitemus affectum puræ, & benevolentæ charitatis, erga Regem tam amabilem; exhibeamus illi honorem, & reverentiam; nosque totos ipsi devoveamus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Aperti sunt caeli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Matth. 3.

INTEL. Perpendamus quomodo dum Christus se in terrâ cum peccatoribus humiliat, è cælo non tantum aspectu, & verbis; sed etiam operibus, & miraculis exalteretur, misso Spiritu Sancto in formâ columbæ. *Qui se humiliaverit exaltabitur.* Matth. 23. REFL. Hinc discamus à contrario, quàm non simus sanæ mentis, si sub vexillo diaboli, per divitias, & honores nos velimus exaltare: Nam scriptum est Matth. 23. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur.*

VOL. Abominemur falsam ac vanam mundi exaltationem, accusemus insaniam nostram, quæ aliquando honoris illo fumo nos oblectavimus: humilem Christum deinceps sequamur.

COLLOQ. De duobus vexillis. RECOL.

MEDITATIO XLV.

De tentatione Christi. Luc. 4. Matth. 4.
Myft. punct. 1.

CONG. Desiderium adhærescendi Christo, sicut
Explicatum pluribus est.

PRÆL. I. Post baptismum secessit in deser-
tum Christus, & ibi per dies quadraginta, & toti-
dem noctes jejunavit.

PRÆL. II. Locum deserti inspicere.

PRÆL. III. Petere gratiam Christum in amo-
re solitudinis, & in Gulâ domandâ, sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus
oculos mentis ad Christum in deserto.

INTEL. Contemplemur illum solum, remo-
tum ab aspectu, congressu, & tumultu hominum.

REFL. Discamus hinc à rebus vanis, & mundanis
nos ipsos recipere, ut tria illa commoda, quæ à
S. P. Nostro Annot. 20. enumerantur, possimus
percipere.

VOL. Dicamus ad Christum illud. Cant. 8.

*Quis mihi det te fratrem meum, ... ut inveniam
te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat,
foris, inquam, in solitudine, extra hominum tu-
multum.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus JESUM
in solitudine loquentem; Sed cum solo Patre
suo cœlesti,

INTEL. Ratiocinemur hunc esse unum fructum, qui percipitur ex solitudine juxta Annot. 20. *quod quanto se magis reperit anima segregatam, ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quarendum attingendumque Creatorem & Dominum suum, &c.* REFL. Respiciamus nos ipsos, an non laboremus morbo, amoris solitudinis prorsus contrario, qui in industriis P. Claudii cap. 6. vocatur, *Effusio ad exteriora.*

VOL. Agnoscamus infirmitatem, & culpam nostram, quod remedia contra morbum spiritua-lem tam noxium non adhibuerimus: Oremus Deum: ut animæ nostræ faciat, sicut loquitur Osee 2. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Cùm jejunaasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: postea esurivit.* Matth. 4.

INTEL. Hinc discamus neminem esse aptum ad vitam Apostolicam, qui vitium capitale Gulae & rebellionem sensus istius non expugnaverit. REFL. Videamus quousque hæc in nobis expugnata sit.

VOL. Decernamus Regulas *de victu temperando*: & Additionem 10. *de pœnitentia in victu*, benè observare.

COLLOQ. Petamus gratiam hostem illum expugnandi.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM

MEDI.

MEDITATIO XLVI.

*De tentatione Christi. Luc. 4. Matth. 4.
Myft. punct. 2.*

CONG. Sicut nunc dictum est.
PRÆL. I. Quomodo Christus ter à diabolo fuerit tentatus.

PRÆL. II. Oculis mentis videre diabolum cum Christo, & locum solitudinis conspiciari.

PRÆL. III. Poscere exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divinâ ope ad eas vitandas.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus diabolum apud Christum in deserto.

INTEL. Hinc patet, quàm verum sit, quod dux impiorum, daemones per totum orbem spargit ad nocendum... nullis personarum generibus immunibus relictis. **REFL.** Concludamus, quod meritò nobis dictum sit 1. Petri. 5. *Sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quarens quem devoret.*

VOL. Accusemus incuriam nostram contra hostem tam vigilem. Oremus Deum, ut gratiâ suâ nos præveniat, & excitet; & statuamus cum Christo vigilare, & sobrietatem sectari.

L₃ Pux

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Tentator dixit: si filius Dei es, dic, ut lapides illi panes fiant.... si filius Dei es, mitte te deorsum.... Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: haec omnia tibi dabo, si cadens Adoraveris me. Matth. 4.*

INTEL. Notemus ordinem tentandi juxta Regulas de disc. Spirit. Solet diabolus primum illecebras carnis, & sensuum delectationes objicere; ut, si peccatores sint, teneat illos peccatis plenos. Si peccatores non sint, sicut statim deprehendit Christum non esse, nec proinde delectationem gulae in ipso locum habere, multò minus carnis, tunc immittere conatur *Molestias... rationes falsas, & alias id genus perturbationes*, hinc tentatio illa sequitur: *Mitte te deorsum. &c.* Non solet verò omittere tres praecipuos tentationum gradus, *in divitiis, honoribus, & superbiâ fundatos*. Ideòque non tantum ostendit *omnia regna mundi*; Sed etiam *gloriam eorum*, & de utrisque dicit: *haec omnia tibi dabo, &c.* REFL. Juxta Regulas de disc. Spir. examinemus tentationes nostras.

VOL. Inter tot tentationes, & hostes positi, diffidamus propriis viribus, & certam fiduciam collocemus in auxilio Dei, *quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Ps. 15.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Christus tentabatur à diabolo. Luc. 4.*

INTEL. Ratiocinemur Christum Regem, Ducem, ac optimum Imperatorem nostrum, voluisse

luisse pugnam illam sustinere, ut nobis animos daret: juxta illud, quod militibus suis dicebat: *In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus ceteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoria, &c.* REFLECT. Cogitemus, quàm ignavi nos simus milites, & vituperio digni, qui post tale Ducis nostri exemplum, in pugna contra diabolum trepidamus, & animis cadimus.

VOL. Pudeat nos tantæ pusillanimitatis, & juxta Regulas de disc. spir. in Dei virtute collocemus spem nostram, & animum nostrum corroboremus, & memores simus, *quod hostis noster naturam & morem muliebrem refert, &c.*

COLLOQ. Quo poscimus exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divinâ ope ad eas vitandas. REGOLLECTIO.

MEDITATIO XLVII.

De tentatione Christi. Matth. 3.

Myst. punct. 3.

CONG. Propria huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo post tentationem accesserint Angeli, & ministraverint Christo.

PRÆL. II. Fingere sibi locum, ubi Angeli ministrabant.

PRÆL. III. Petere gratiam benè intelligendi, & observandi Regulas *de discernendis spiritibus.*

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum finitâ tentatione. Nam *consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* Luc. 4.

INTEL. Contemplemur Christum liberum quidem ab illâ tentatione consummatâ, non tamen liberum ab omni futurâ. Ideòque Lucas dicit, quod *diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* Sanè postea diabolus operâ præcipuè Judæorum variè Christum persecutus est. REFL. Discamus hinc juxtâ Reg. 10. hebd. 1. de disc. spir. *Quod fruenti homini consolatione prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit desolatione deinceps occurrente, &c.*

VOL. Spem nostram collocemus in illis verbis Christi: *confidite ego vici mundum.* Joan. 16. Mundum, inquam, cujus diabolus regna Christo ostendit, ut eum tentaret. Cum verò tentatio dat inducias & diabolus recessit, tunc juxta Regulas suprâdictas, *jam inde acrimoniam, & robur animi maturè comparemus, ad impetum ejus reprimendum.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus, quibus verbis Christus diabolum represserit: *Non in solo pane vivit homo, &c. Non tentabis Dominum Deum tuum, &c. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 4.

INTEL. Perpendamus omnia verba hæc esse deprompta ex Sacra Scripturâ, sive ex verbo Dei. Hoc enim maximè horret diabolus. REFL. Hinc

concludamus, multum nobis profuturum, si quasdam Scripturæ sententias in promptu habuerimus, quas tentationibus opponamus.

VOL. Statuamus nobis talia arma ex scripturâ comparare, & Deo dicamus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Ps. 118.

PUNCTUM III OPERA. MEM. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Matth. 4.

INTEL. Erant hi Angeli boni. Notemus igitur, quod juxta Reg. 2. hebd. 1. de disc. spir. *Spiritus autem bono... proprium consuetumque est rectè agentibus animum ac vires addere, consolari, &c.* REFL. Concludamus, quod dum sumus in tentatione aut desolatione juxta Reg. 8. ibid. *accerfenda etiam spes est, & cogitatio ad futura brevis consolationis.*

VOL. Generosè cum Christo contra diabolum pugnemus: & statuamus illi *erecto ac constanti vultu obistere*, exequiamur timorem omnem. Nam adest nobis *Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen ejus.* Exod. 15.

COLLOQ. De duobus vexillis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XLVIII.

De Apostolorum Vocatione.

Myst. punct. I.

CONG. Considerare incredibilem Dei in nos bonitatem, sicut plenius expositum est.

L 5

PRÆL.

PRÆL. I. Quomodo Petrus & Andreas Christo vocati sint.

PRÆL. II. Conspicari locum in Galilæa, ubi cum Christo egerunt.

PRÆL. III. Petere gratiam, ne absurdescamus vocante nos Christo; sed ut sequamur promptè.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Petrum & Andream, eorumque abjectam conditionem, *erant enim Piscatores. Matth. 4.*

INTEL. Consideremus, quod sicut Christus non in Cathedra, ut lucifer; sed humili est constitutus loco; sic pauperes, & humiles sub vexillo suo vult congregare. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos? Isa. 66.* REFL. Cogitemus, an nos spiritu saltem simus pauperes, & humiles.

VOL. Deploremus nostram vanitatem, quod amorem mundanum culpâ nostrâ sinamus in nobis dominari: excitemus affectum puræ charitatis erga Jesum in suâ humilitate tam amabilem. Optemus, ut gratiâ suâ faciat nos similes sibi: *Beatum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ps. 118.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. In memoriam revocemus verba, quibus Christus fratres hos duos vocavit.

INTEL. Perpendamus, quàm fortiter, & suaviter vocaverit: cum audito Joannæ se sequentur,

tur, ultrò illos alloquitur, dicens: *quid quaritis?* interrogantibus autem, *ubi habitas?* dicit eis: *venite, & videte.* Sic invitans eos, Joan. 1. *Ascendens autem in unam navim, qua erat Simonis, rogavit eum, à terrâ reducere pusillum, non mandavit, postea dixit: ex hoc jam eris homines capiens.* Luc. 5. denique utrisque dixit, *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4 loquens semper ex eorum genio de piscatione. REFL. Applicemus nobis ista, ut discamus animas capere, juxtâ vocationem nostram.

VOL. Imploremus gratiam Dei, ut possimus cum Apostolo dicere 1. Cor. 9. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Matth. 4.

INTEL. Notemus ex parte duorum illorum fratrum promptitudinem in sequendo: ex parte verò Christi, quomodo illos *gratia donis super omnes veteris testamenti Patres, novique Sanctos* evexerit: non per stultam mundanam gloriam; sed per veram, spiritualem, & divinam. REFL. Nos interea vocante nos Christo hæremus in primâ, vel secundâ hominum classe: & pergitur stultè mundano amori indulgere.

VOL. Confundamus nos propter ignaviam, & cœcitatem nostram: & magno affectu dicamus: *Eno! Rex supreme. &c.*

COLLOQ. Sicut post meditationem *de tribus hominum classibus.* RECOLLECTIO.

MEDI.

MEDITATIO XLIX

De Apostolorum vocatione.

Myst. punct. 2.

CONG. Excitare desiderium cognoscendi clarissimum humilis, & amabilis IESU in nos charitatem.

PRÆL. I. Quomodo Jacobus, Joannes, Philippus, & Matthæus vocati sint.

PRÆL. II. Aspicere Navim filiorum Zebedæi, locum ubi Philippus cum Nathanaële loquebatur, & telonium Matthæi.

PRÆL. III. Petere gratiam corrigendi vitam suam, & Christum sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi: resicientes retia. Matth. 4. Philippum verò cum Nathanaële loquentem Joan. 1. Matthæum denique sedentem in telonio. Matth. 9.

INTEL. Consideremus horum ignobilitatem. Nullus aliquod inter homines nomen habebat. Matthæus habebat etiam nomen publicani, & peccatoris. **R**EFL. Cogitemus quales nos fuimus, dum fuimus vocati.

VOL. Agnoscamus nos fuisse miseros peccatores. Extollamus incredibilem Dei bonitatem in nos. *Commendat autem charitatem suam, DEUS in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, vocavit, & liberavit nos. Rom. 5.*

Pun.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. De Jacobo, & Joanne legitur Matth. 4. & vocavit eos. De Philippo. Joan. 1. Et dicit ei JESUS: sequere me. De Matthæo, Matth. 9. & ait illi: sequere me.

INTEL. Ratiocinemur sermones Christi conditos fuisse fructibus Spiritus Sancti: ita ut in eis gustaretur quodammodo, charitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, modestia, fides, &c. Hinc Philippus dicebat Nathanaëli. Joan. 1. *Quem scripsit Moyses in Lege, & Propheta, invenimus JESUM.* **REFL.** Discamus hinc quales debeant esse sermones nostri.

VOL. Dicamus culpam nostram, quia in nostris verbis sæpè contrariæ conditiones inveniuntur. *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina hac cogitate,* inquit Apostolus. Philip. 4. Quæ verò cogitamus, illa & loquimur. Sequamur hanc admonitionem.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus Jacobo & Joanni dedit nomina *Boanerges quod est filii tonitruui.* Marc. 3. Philippus, significat equestris, Bellicosus, amator equorum. Matthæum à telonio, ad Cœlestes divitias vocavit.

INTEL. Ratiocinemur, quomodo omnes illi opere impleverint vocationem, & nomen suum. Jacobus, & Joannes instar tonitruui, Apostolatu suo mundum comoverunt, Philippus, cum Christo Rege suo studuit, sub vexillo ejus inimicos
ejus

ejus debellare omnes: Matthæus Drachmann
 Evangelicæ paupertatis invenit, & ad finem us-
 que conservavit. REFL. Videamus nos quoque,
 an opera nostra respondeant vocationi nostræ,
 & nomini Socii JESU.

VOL. Imitemur Apostolos illos; cogitemus
 quod etiam à Deo simus vocati, *in Societatem fi-
 lli ejus Jesu Christi, Domini nostri.* 1. Cor. 1. Dil-
 gamus eum, sequamur eum non *verbo, neque lin-
 guâ: sed opere, & veritate.* 1. Joan. 3. ut cum
 Apostolis exaltemur ad gloriam Regis nostri.

COLLOQ. De duobus vexillis.
 RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO L.

De Apostolorum vocatione.

Myft. punct. 3.

CONG. Non variatur.

PRÆL. I. Quomodo Christus cœteros
 Apostolos vocaverit, ut se sequerentur.

PRÆL. II. Videre Regionem Galilææ, & loca,
 ubi vocati fuerunt.

PRÆL. III. Petere gratiam perfectè militandi
 sub vexillo Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos converta-
 mus ad Apostolos universos; etiam ad illos,
 quorum vocatio non tam accuratè descripta est.

INTEL. Perpendamus quàm benè de illis dica-
 tur

tur illud 1. Cor. 1. *Videte enim vocationem vestram Fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi Nobilitates: Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* REFL. Dicamus hinc, *per spectat, & damnat à mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipere ad abjectionem, & humilitatem vexilli Christi.*

VOL. Dicamus in spiritu humilitatis: *elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal. 83. & dum gloria Dei par esset, eligamus potius vilem Apostolorum, & à mundo derisum statum, quam divitias, aut honores.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire quàm suaviter simul ac fortiter singuli sint vocati.

INTEL. Ratiocinemur, quamvis verba vocationis de singulis non legantur in Scripturâ, hoc tamen fuisse ejus argumentum: *Mea hæc est justissima voluntas, totius mundi dominium mihi vindicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde, quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.* Hic est sensus vocis illius: *sequere me.* REFL. Ratiocinemur nos non esse *sana mentis*, si cum Apostolis Christum avidissimè non sequamur.

VOL. Agamus gratias pro suavi simul ac fortiter vocatione, quâ nos vocavit ad Societatem suam
Chri-

Christus; & ut testemur reciprocum amorem statuamus nos in tertio gradu humilitatis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus vocavit Discipulos suos; & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominavit) Luc. 6.

INTEL. Perpendamus dignitatem *Apostolatus*, quod *legationem* significat. Hinc dicit Apostolus 2. Cor. 5. *Pro Christo ergò legatione fungimur.* REFL. Concludamus hanc legationem conjunctam cum opprobriis, & paupertate, à nobis debere æstimari præ omnibus dignitatibus, quas mundani homines tantoperè ambiunt.

VOL. Nos igitur juxtà tertium humilitatis modum, optemus, & eligamus *pro nomine JESU contumeliam pati.* Act. 5. ut spretis vanis, & stultis dignitatibus humanis, possimus cum Apostolis, & cum Christo exaltari ad gloriam, & dignitatem immarcescibilem.

COLLOQ. Sicut post tres modos humilitatis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LI.

De primo Christi miraculo facto in Nuptiis. Joan. 2. Myst. punct. 1.

CONG. Simul atque evigilo delibare pridie paratam meditationem, ut supra dictum.

PRÆL. I. *Quomodo invitatus fuit Christus cum Discipulis suis ad Nuptias.*

PRÆL. II. *Conspicari locum convivii in Cana Galilææ.*

PRÆL.

PRÆL. III. Petere gratiam, semper vivendi cum
JESU, & MARIA.

PUNCTUM. I. PERSONÆ MEM. Introëamus mente
in locum convivii, & videamus Jesum cum
Matre, & discipulis suis accumbentem.

INTEL. Contemplemur modestiam, temperan-
tiam, abstinentiam, &c. REFL. Comparemus no-
strum comedendi morem, cum illo Christi, & Ma-
riæ ac discipulorum.

VOL. Accusemus coram Deo vitia gulæ nostræ,
& statuamus juxtà Reg. 5. *de victu temperando*,
& assuescamus *inter comedendum imaginari*,
quasi videamus Jesum Christum Dominum no-
strum vescentem cum suis discipulis. &c.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Vocatus est autem,*
& Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Joan. 2.

INTEL. Jesus vult oratione zelosa, humili, & fer-
venti vocari, ut veniat ad nos. REFL. Examine-
mus nos, quia interdum aliqui JESUM adeò non
rogant, ut veniat; ut potius impediant, & agant
ne veniat; ut scilicet genio, & sensui liberiùs indul-
geant.

VOL. Absit à nobis tanta insania. Dicamus cum
S. Bernardo *Desidero te milles, mi JESU quando*
venies, me latum quando facies, me de te, quan-
do saties?

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Erat Mater Jesu*
ibi: vocatus est autem, & Jesus, & Discipuli ejus
ad Nuptias. Joan. 2.

M

IN-

INTEL. Ratiocinemur, Christum opere, & exemplo suo, quo interfuit nuptiis, docuisse, quod contemnendi non sunt ij, qui manent in primo statu, & communi, in quo debent observari mandata Dei; non debent, inquam, contemni ab illis, qui sunt in statu perfectionis Evangelicæ REFL. An nos non contemnimus interdum illos, & judicamus? & tamen sæpè tales nobis præferentur in die judicii.

VOL. Agnoscamus hîc superbiam nostram, ex qua oriuntur talia judicia: & memores verborum Christi Matth. 7. *nolite judicare. & non judicabimini*: abstineamus deinceps à judiciis temerariis.

COLLOQ. Quo petatur spiritus humilitatis, & cognitionis sui ipsius, ut nos ipsos potius judicemus, quàm alios: atque Christi exemplum semper præ oculis habeamus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LII.

De primo Christi miraculo facto in Nuptiis. Joan. 2.

Myst. punct. 2.

CONG. De more.

PRÆL. I. Quomodo B. Virgo dixerit Christo, *Vinum non habent: & Ministris quodcumque dixerit vobis, facite.* Joan. 2.

PRÆL. II. Locum, ubi hæc dicta sunt, sibi imaginari.

PRÆ.

PRÆL. III. Petere gratiam, fiducia in patrocinio B. Virginis, & perfectè adimplendi, quidquid Christus iusserit.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Sponsam & Sponsum anxios, sollicitos ac turbatos deficiente vino, Joan. 2.

INTEL. Ratiocinemur, quod sicut *deficiente vino*, turbati fuerunt in nuptiis illis, quamvis Christus præsens esset: ità quamvis Christus nobis præsens sit, sæpe tamen *deficiente vino* consolationis, premat nos desolatio: nihilominus *assistente nobis jugiter prasidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur*: sicut habetur. Reg. 7. hebd.

1. dilc. spir. REFL. Hinc sicut habetur ibidem *cogitandum est, nos interim relinqui à Domino nobis ipsis probationis causâ*. Sicut Sponfos illos ob similes causas aliquandiu reliquit sibi ipsis.

VOL. Magnis igitur animis, & magnâ patientiâ sustineamus desolationes & juxtâ Reg. 11. ibid. qui est in desolatione, quasi certus de Deo præsentente, *in Dei virtute collocet spem suam & animum suum corroboret. Dominus à dextris est mihi, ne commovear.* Psal. 15.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Dicit Mater Jesu *adeum: vinum non habent.* Joan. 2.

INTEL. Perpendamus Christum desiderio & patrocinio Matris mox satisfacisse. Nam quando respondit: *nondum venit hora mea.* Joan. 2. per illud *nondum*, satis significabat, se facturum id, quod pe-

tebaur. REFL. Nos hinc discamus, dum deficit vinum consolationis, & in quacumque necessitate adhibere patrocinium B. Virginis.

Vol. Excitemus affectus fiducia, & teneri amoris erga B. Virginem: *Sancta Maria, Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc in hac desolatione, in hac necessitate, & in hora mortis nostrae, amen.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Dicit Mater eius Ministris: quodcumque dixerit vobis, facite. ... dicit eis Jesus: implete hydrias aqua, & impleverunt eas usque ad summum. Joan. 2.*

INTEL. Notemus hinc promptam, integram, & coecam obedientiam Ministrorum, quam B. Virgo ex Spiritu Christi illos docuerat: coeca erat, quia jussi studebant, excoecato quasi intellectu suo, & quam, cum desideratur vinum. REFL. Comparemus cum hac obedientiam nostram.

Vol. Excitemus desiderium ingens pertingendi ad perfectionem obedientiae, quae in Epistola S. Pauli Nostri, & in Regulis nobis praescribitur & statuemus prompte, ac coeque obedire.

COLLOQ. Ad B. Virginem, Christum, & Deum Patrem, ad gratiam perfectae obedientiae impetrandam. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LIII.

*De primo Christi miraculo factò in
Nuptiis. Joan. 2.*

Myst. punct. 3.

CONG. Excitate desiderium cognoscendi Christi, sicut dictum est.

PRÆL. I. Quomodo Christus converterit ab uam in vinum: & manifesta verit gloriam suam.

PRÆL. II. Mente iterum adire locum convivii.

PRÆL. III. Petere gratiam, Dei gloriam promovendi, per veram obedientiam.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus quomodo B. Virgo fuerit constituta, postquam audiverat à Christo, *nondum venit hora mea.* Joan. 2.

INTEL. Contemplemur in eâ magnam animi tranquillitatem; relinquebat filio, curam temporis, & totius rei: certa quod faceret id, quod esset ex obsequio Dei. REFL. Nos verò postquam superiori, quem Dei loco habemus, exposuimus res nostras, sæpè manemus in animi perturbatione, & inquietudine.

VOL. Accusemus nos, & doleamus de hoc vitio, decernamusque deinceps melius observare Reg. 46 summ. quæ præscribit, *ut cum verbo aut scripto brevi (ne excidat memoria) superiori rem exposuerint, ei totam curam rei exposita relinquunt, &c.*

M 3

Pun-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dicit eis Jesus: haurite nunc, & ferte Architriclino. Joan. 2.*

INTEL. Pergit Christus hisce verbis probare, exercere cœcam obedientiam Ministrorum. Non dicit de vino: non dicit aquam in vinum conversam: sed *nunc*, hoc est, postquam aquam hydrias implevistis, facite, quod porrò dicturus sum, idque cœco modo, nihil interrogantes, nihil contradicentes, haurite ex hydriis, & ferte Architriclino.

REFL. Consideremus, quàm hæc omnia conformia sint Regulis nostris & Epistolæ S. P. Nostri, *de obedientia.*

VOL. Gratias Deo agamus pro tam salutari doctrinâ obedientiæ, quam B. Virgo Ministros docuerat, & quam Christus suis verbis, & imperiis tam luculenter probavit: excitemus fiduciam erga Christum, quod, si ita obedientes fuerimus, ipse etiam aquam tribulationis nostræ, sit mutaturus in vinum consolationis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus convertendo aquam in vinum *manifestavit gloriam suam* Joan. 2.

INTEL. Christus semper hoc habuit præ oculis, ut miraculis, ac omnibus verbis & operibus suis semper divinitatis suæ, hoc est, Dei gloriam manifestaret. Ideò postea dixit Joan. 17. Patri suo: *Manifestavi nomen tuum hominibus.*

REFL. Concludamus, nobis quoque incumbere per opera nostra omnia gloriam Dei manifestare. *Sic luseat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Matth. 5.

VOL. Renovemus affectus conceptos in Meditatione *Fundamenti*, de fine, ob quem creati sumus, scilicet ad laudandum Deum, & altè cordi ac memoriæ imprimamus illud Societati JESU proprium: *Ad majorem Dei Gloriam.*

COLLOQ. Quo petamus gratiam, ut per obedientiæ perfectæ viam, fini nostræ creationis, & etiam vocationis nostræ, laudando Deum, ejusque gloriam ubique manifestando, satisfaciamus. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LIV.

De fugatis è Templo negotiatoribus, primâ vice. Joan. 2.

Myft. punct 1.

CONG. De more. PRÆL. I. Quomodo Christus eiecerit *de Templo*, vendentes illic & eementes, factæ ex funiculis flagello.

PRÆL. II. Formam Templi oculis objicere.

PRÆL. III. Petere donum *fortitudinis* ad pugnandum zelosè contra diabolum, qui nos cupiditate rerum temporalium, tamquam laqueo, vult subjugare.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur homines in Templo vendentes & eementes.

INTEL. E Templo oculos circumferamus per totum

M 4

tum

tum Orbem Terrarum, inueniemus ubique uenientes & euentes: & hinc diaboli occasionem arripiunt, ut *homines primum trahant* (quod fere contingit.) ad cupiditatem diuitiarum, ex qua oritur obliuio æternorum, & aliæ multæ sequuntur tentationes. REFL. Cum cupiditas hæc malitiam habeat non à re concupitâ; sed ab affectu, quo concupiscitur; videamus, an in nobis non sit talis cupiditas.

• VOL. Pudeat nos quod in Religiosâ vitâ affectus noster rebus tam parvis adstrictus sit: repudiemus diaboli in hoc genere insidias, & Christi paupertatem amplectamur.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum ad Patrem suum dicentem: *dilexi decorem domus tuæ. Ps. 25.*

INTEL. Ratiocinemur per domum Dei intelligitur Tempulum, tum domos, in quibus sanctè & religiosè vivitur, atque adeò domos religiosas, de quibus meritò dicitur illud Ps. 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, REFL. Hinc iterum discamus, quam aduersetur decori domus Dei, si in domo religiosâ aliquis inueniatur constrictus à diabolo laqueis cupiditatis alicujus domicilii, cubiculi, supellectilis, &c.

VOL. Dirumpamus vincula illa & laqueos: diabolo verò opponamus Regulam summ. 25. quod victus & supellex debeat esse, *ut pauperibus accommodata*, & quod persuadere nobis debeamus, quod vilissima nobis tribuentur, his laqueis

ruptis, poterimus Deo dicere: *dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Pl. 115.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo.* Joan. 2.

INTEL. Dux impiorum per innumeros dæmones etiam in domum Dei, & religiosam irrumpit; ut mercatum, & divitiarum cupiditatem introducat; Christus autem quasi pugnans, armatâ, & forti manu illos ejicit. REFL. Discamus quod nobis etiam erecto, & forti animo opus sit, ut hostem illum debellemus.

VOL. Excitemus animos nostros sub vexillo Christi militantes: petamus à Spiritu Sancto donum *Fortitudinis*: de victoria non dubitemus, freti auxilio Ducis nostri.

COLLOQ. De duobus vexillis, inhærendo potissimum spiritui paupertatis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO. LV.

Defugatis è Templo negotiatoribus, primâ vice. Joan. 2.

Myst. puncti. 2.

CONG. Modo ordinario.

PRÆL. I. *Nummulariorum effudit as, & mensas subvertit.* Joan. 2.

PRÆL. II. Aspicerè mensas illas in Templo.

PRÆL. III. Petere gratiam, expugnandi animo forti cupiditatem pecuniarum, & divitiarum.

M 5

PUN.

PUNCTUM I. PERSONÆ MEM. Circumspiciamus Nummularios illos in Templo ad mensas sedentes.

INTEL. Alii vendebant boves, & oves, & similia sed Nummularii vendebant pecunias cum usuris vel eas commutabant cum damno plurimorum qui ad festum convenerant: & narrantur Sacerdotes in illo turpi lucro etiam partem habuisse.

REÆL. Hinc cognoscamus, quod hoc genus cupiditatis, quod in tractatione pecuniarum consistit, foedius sit, & quod cupiditas illa sit arctior laqueus, ac catena, quàm quævis alia; & quod diaboli etiam in familias religiosas, hujusmodi cupiditatem conetur inducere, incitando personas Deo dicatas, etiam Sacerdotes ad peculia privata &c.

VOL. Horrorem concipiamus ab illo vitio, quod Religionum murus, & vita communis evertitur.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum Nummularios illos non solum flagello sed etiam verbis castigantem.

INTEL. Potuit Christus illis objicere illud Davidis Ps. 14. quod ille, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, habitaturus sit in tabernaculo, sive in domo Dei; quodque adeò ipsi indigni sint, qui consistant in Templo. Multò minù tales intrabunt in Templum Cœleste: imò *facilius est camelum per foramen acus transire*, Marc. 1. **REFL.** Hinc colligamus magnitudinem beneficii vocationis nostræ, si modò paupertatem, ut matrem diligamus.

VOL. Gratias agamus ingentes Deo, qui ex tot millibus nos vocavit: & statuamus vivere dignè vocatione nostrâ.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus non tantum illos ejecit sed insuper *nummulariorum effudit as, & mensas subvertit.* Joan. 2.

INTEL. Notemus quò foedior fuit cupiditas & quò laquei, ac catenæ, quibus constricti tenebantur, erant fortiores; eò majori vi opus fuisse. **REFL.** Discamus hinc, quando diabolus correptis injectisq; laqueis, conatur nos ad violandam paupertatem trahere; non languidè, sed forti, & erecto animo contra esse pugnandum: languidos enim, & tepidos Religiosos, parvo peculio æquè constrictos tenebit, quàm Nummularios magno.

VOL. Generoso, & vigili animo contra insidias diaboli pugnemus! & laqueos omnes, quibus nos irretire conatur, excutiamus fortiter, ut fruamur plenâ libertate filiorum Dei.

COLLOQ. De duobus vexillis, maximè inharendo spiritui paupertatis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUM.

MEDITATIO LVI.

De fugatis è Templo negotiatoribus, primâ vice. Joan. 2.

Myſt. punct 3.

CONG. Desiderium cognoscendi incredibilem
in nos amorem, ut supra.

PRÆL. I. Vendentibus columbas mansuetè inquit. *Auferte ista hinc. &c. Joan. 2.*

PRÆL. II. Inspicere in Templo officinas vendentium columbas.

PRÆL. III. Petere gratiam, ad zelum ferventem benè conciliandum, cum mansuetudine.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum, apud vendentes columbas temperato fervore zeli, magis mansuetum.

INTEL. Ex hoc exemplo discamus zelum nostrum esse dirigendum; aliquando quidem illi indulgendum, aliquando etiam temperandum, prout rerum, & personarum conditio requirit.
REFL. Examinemus, an non sit in nobis interdum zelus indiscretus.

VOL. Diffidamus nobis, & infirmitati nostræ in hoc vitio superando, nam sæpe agimur malâ passione, quando putamus nos agi zelo: sed fiduciam totam collocemus in gratiâ Dei, à quo solo oritur vera discretio spirituum. Deo possumus dicere illud Ps. 84. *Mitigasti omnem iram tuam, erga nos maximos peccatores: doce nos secundum voluntatem tuam, etiam mitigare zelum nostrum.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus his, qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Joan 2.

INTEL. Columba est signum mansuetudinis, & simplicitatis: *Simplices sicut columba.* Matth. 10. quia verò Christus tantoperè amat simplicitatem, & benignitatem: ideò verbis mitioribus agit cum vendentibus columbas, eoque jubet sua auferre, monendo illos, ne negotientur in Templo. REFL. Perpendamus, quod nos quoque debeamus imitari mansuetudinem Christi, si velimus, ut ipse quoque benigniùs nobiscum agat.

VOL. Imploremus fructus Spiritus Sancti, inter quos est *bonitas, benignitas, mansuetudo.*; itaque semper exerceamus zelum nostrum: ut semper memores simus verborum Christi: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Recordemur quod in hac primâ ejectione negotiatorum è Templo, quæ contigit sub initium prædicationis, mitius egerit, & locutus sit cum vendentibus columbas: at verò in alterâ ejectione, quæ circa finem prædicationis contigit, non diu antè mortem, duriùs egit etiam cum vendentibus columbas. Nam tunc *Cathedras vendentium columbas evertit.* Matth. 21.

INTEL. Ratiocinemur causam hujus diversi modi agendi esse, diversam dispositionem personarum.

In-

In primâ ejectione, vendentes columbas minus resistebant voluntati Christi, quàm nummularii; in secundâ verò ejectione, cum nelectâ Christi tam benignâ antè factâ monitione, etiamnum pergerent, eorum quoq; cathedras evertit. REFL. Discamus hinc veritatem Regulæ 7. hebd. 2. de disc. spirit. Quare spiritus sive bonus, sive malus, duriter soleat illabi in animos sibi contrarios.

VOL. Nos studeamus, *veri... optimique Imperatoris Christi, agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari*, nosque illi ità similes reddere, ut ipse in animam nostram, *tamquam in propriam, & apertam domum, subeat cum quiete*, juxta eandem Regulam.

COLLOQ. De duobus vexillis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO. LVII.

De Sermone Christi, habito in monte,

Matth. 5.

Myst. punct. 1.

CONG. Desiderium cognoscendi magis Christi doctrinam.

PRÆL. I. Quomodo Christus docuerit octo Beatitudines.

PRÆL. II. Aspicere montem, in quo Christus docebat.

PRÆL. III. Petere gratiam, intelligendi, & sequendi doctrinam Christi.

PUN-

PUNCTUM I. PERSONÆ. Intueamur Christum, qui *ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus.* Matth. 5.

INTEL. Consideremus Christum, inter Discipulos sedentem, vel tamquam Regem, inter subditos; vel tamquam Patrem, inter filios; vel tamquam Dominum, inter servos; vel tamquam Medicum, inter ægros; vel tamquam lucem, inter tenebras; vel tamquam Doctorem, inter Discipulos. **REFL.** Perpendamus, an nos Christum tali modo soleamus considerare.

VOL. Excitemus erga Christum affectus subditi, filii, servi, ægri, ignorantis, & discipuli.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus octo Beatitudines proposuit, dicens: *Beati pauperes spiritu;* tum sex alias virtutes interponens, octavam sic posuit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. &c. beati estis, cum maledixerint vobis. &c.* Matth. 5.

INTEL. Ratiocinemur, quod juxta Meditationem *de 2. vexillis*, Christus primùm hortetur ad paupertatem: deinde ad maledictionis, & opprobrii desiderium allicit; unde humilitatis virtus nascitur: atque hi tres gradus *virtutes omnes statim introducunt.* Nam pauperes spiritu, appetentes cum Christo opprobria, & humiles, statim erunt mites; lugebunt sua peccata; esurient justitiam; erunt misericordes; mundo corde, & pacifici.

REFL. Inspiciamus nos, quàm procul absumus ab illis tribus gradibus virtutum.

VOL.

VOL. Cum majori fervore, renovemus affectus conceptos in Meditatione *de 2. vexillis.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus *aperiens os suum docebat eos.* Matth. 5.

INTEL. Perpendamus, quomodo Christus munus ad quod à Patre missus erat, impleverit prædicando, docendo & omnium salutem vacando. REFL. Videndum quomodo nos impleamus Regulam nostram, quæ ejusmodi quoque munus nobis imponit.

VOL. Doleamus de negligentia nostrâ, & dicamus Deo: *Docebo iniquos vias tuas & impii ad te convertentur.* Hoc autem assequemur, si doceamus verbo, & exemplo, tres illos gradus virtutum.

COLLOQ. de duobus vexillis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LVIII.

De Sermone Christi, habito in monte,

Matth. 5.

Myst. punct. 2.

CONG. Sicut in præcedenti.

PRÆL. I. Quomodo Christus exhortatus sit Discipulos, ut acceptis donis ac talentis rectè utantur.

PRÆL. II. Aspicere montem, in quo Christus exhortabatur suos.

PRÆL. III. Petere gratiam rectæ intentionis erga Deum, & erga finem creationis ac vocationis nostræ.

PUN-

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos ad Discipulos audientes Christum doctorem.

INTEL. Notemus in eis modestiam, attentionem, aviditatem audiendi & intelligendi doctrinam Christi. **REFL.** Sic oportet nos quoque avidè audire verbum Dei. *Accesserunt ad eum Discipuli ejus.* Matth. 5. Nos quoque accedamus. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ps. 33.

VOL. Pudeat nos, quod avidiùs sæpè verba vana audiamus. Convertamus nos cum Petro ad Christum, & dicamus, *Domini ad quem ibimus? verba vite æterna habes.* Joan. 6.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Dixit Christus: *vos estis lux mundi... Sic luceat lux vestra, coram hominibus ut... glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Matth. 5.

INTEL. Christus varia dona, & talenta dederat Discipulis, propter quæ tamquam lux fulgebat in mundo. Igitur *eos exhortatur, ut acceptis donis, & talentis, utantur rectè*, hoc est, ut homines per ea moveantur, ad finem creationis suæ. **REFL.** Cogitemus hanc exhortationem præcipuè in nos cadere, qui cum discipulis vocati sumus in Societatem JESU.

VOL. Salutarem timorem concipiamus divini iudicii, in quo de singulis talentis accurata ratio reddenda erit: & deinceps iis ita statuamus uti, quemadmodum proximū convenit movere, *ut Dominū*

N

Deum

*Deum suum laudet, ac revereatur, eique servienti
tandem salvus fiat.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus dixit: *videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, &c. Matth. 5.*

INTEL Non solum aliis talentis, veluti docendi, prædicandi &c. vult nos uti rectè: Sed disertè opera nostra vult esse talia, ut per ea homines glorificent Deum, ea videntes. **REFL.** Examinemus opera nostra, an sint talia.

VOL. Agnoscamus coram Deo culpam nostram, quod sæpè opera nostra proximo exhibuerimus, potius ut nos ipsi glorificemur. Dicamus toto corde: *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ps. 113. Ad majorem Dei gloriam.*

COLLOQ. Quibus petatur gratia rectæ intentionis, juxta Reg. 17. **Summ. RECOLLECTIO.**

MEDITATIO LIX.

De Sermone Christi, habito in monte.

Matth. 5.

Myst. punct. 3.

CONG. Idem desiderium cognoscendi clarissimam doctrinam Christi.

PRÆL. I. Quomodo Christus docuerit implenda præcepta, & diligendos inimicos.

PRÆL. II. Mente redire ad montem, in quo Christus docebat.

PRÆL.

PRÆL. III. Petere gratiam, implendi præcepta, & diligendi proximos, etiam inimicos.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Scholas, & Academias, quæ tunc erant in Orbe nominatim inter Gentiles, Romæ, in Græciâ & alibi: deinde oculos reflectamus ad montem, in quo Christus sedebat docens.

INTEL. Comparemus Scholas mundanas cum Scholâ Christi. In Scholâ Christi, & Magister & Discipuli, contrarii erant mundi sapientibus: Nam Christus est ipsa Dei sapientia: *quæ stultæ sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* I. Cor. 1. tales erant in Scholâ Christi Discipuli, stulti apud mundum, infirmi, ignobiles, contemptibiles, ac si non essent. REFL. Nos cogitemus, an Schola Christi præ aliis eligenda non sit.

VOL. Conjugamus nos discipulis in Scholâ Christi; simus cum illis, & cum Christo stulti apud mundum, & contemptibiles; & sequamur monitionem Apostoli I. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus doctrinam Christi; ac primò quidem verba illa: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. 5.

INTEL. Hoc videlicet stultum apparebat sapientibus hujus sæculi; sed latet summa Dei sapientia, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. *ibid.* REFL. Si statuerimus jungere nos Discipulis in scholâ Christi, sequamur hanc doctrinam necesse est.

VOL. Amplectamur toto animo hanc doctrinam, optemus occasiones benefaciendi eis, qui oderunt nos: tunc cum fiducia dicamus: *dimittite nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Cogitemus, quomodo Christus non tantum docuerit; sed opere etiam legem impleverit. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Matth. 5.

INTEL. Ratiocinemur id verum esse. Nam præceptum legis: *Non occides.* Exod. 20. extendit ad iram in fratres. *Non mœchaberis,* *ibid.* ad concupiscentiam. *Non perjurabis.* *ibid.* extendit ad alia juramenta, & sic de aliis: semperque opere ipso doctrinam suam implevit REFL. Cogitemus, quod facile nobis futurum sit Christum in his sequi, si tres illos virtutis gradus, quos in Meditatione de 2. vexillis, nos docuit, benè affecuti fuerimus.

VOL. Renovemus affectus pridem conceptos erga tres illos virtutis gradus, atque ità extendamus nos ad singula, quæ Christus in hoc sermone docuit adimplenda.

COLLOQ. De. 2. vexillis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO. LX.

De sedatâ maris tempestate. Matt. 8.

Myft. punct. I.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo, dormiente Domino coorta fit in mari vehemens tempesta.

PRÆL. II. Aspiceremare, & navim in eâ fluitantem.

PRÆL. III. Petere gratiam Christo adhærendi in adversis omnibus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum cum Discipulis in mari navigantem.

INTEL. Perpendamus qualis fuerit vita Christi, præsertim postquam munus prædicandi inchoavit, versabatur modò in agris; modò in terrâ; modò in aquâ, &c. Prout Patris gloria; & animarum salus exigebat. REFL. Hæc est Regula summ. 3. de vitâ agendâ in quavis mundi plagâ.

VOL. Offeramus nos indifferentes ad quamvis plagam mundi, prout ad Dei gloriam, & animarum salutem Deus per Superiores ordinabit.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ascendente eo in Naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus.* Matth. 8.

INTEL. Sive Christus verbo diceret: *venite post me.* Matth. 4. *vel, sequere me.* Matth. 9. Sive re ipsa,

aut nutu aliquo idem indicaret: promptè sequebantur Discipuli ejus. REFL. Videamus an nos juxtà regulas tam promptè obediamus, etiam *licet nihil aliud, quàm signum voluntatis superioris, sine ullo expresso præcepto, videretur.* Reg. summ. 33.

VOL. Statuamus Christo per superiores etiam solo nutu, nos vocanti obtemperare, eumque sequi: memores contemplationis Regni Christi, ubi petivimus gratiam, *ne obsurdescamus vocante nos Christo.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut Navicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat, Matth. 8.*

INTEL. Hinc docemur, eos, qui Christum sequuntur, agitandos adversis, & tempestatibus, ut videantur interdum obrui, idque ipso præsentè, & quasi dormiente ac permittente. REFL. Hisce conforme est, quod habetur Reg. 7. hebd. 1. *discer. spir.* quod in desolatione possimus insultibus inimici nostri obsistere: *id quod possumus haud dubiè, assistente nobis jugiter præsidio divino; licet tunc nequaquam sentiatur.*

VOL. Cum magnâ fiduciâ dicamus Christo: *Eno! Rex supreme, &c.* meum est hoc certissimum decretum, ut... quàm possim proximè te sequar & imiter, *in ferendis injuriis, & adversis omnibus, & tempestatibus.*

COLLOQ. Conveniens contemplationi Regni Christi. RECOLLECTIO,

MEDITATIO. LXI.

De sedatâ maris tempestate. Matt. 8.

Myft. punct. 2.

CONG. Desiderium incredibilem Christi bonitatem in nos perspiciendi.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli excitaverint Christum, qui de fidei levitate eos arguit

PRÆL. II. Intueri navim, & locum, in quo Christus excitatur.

PRÆL. III. Petere gratiam, secundum Deum benè nos dirigendi in tempestatibus & adversis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Discipulos in tempestate anxios, sollicitos, timidos, inopes consilii: dormiente Christo.

INTEL. Hic contigit id, quod habetur Ps. 106. Nam Christus, quamvis dormiret, *dixit, & stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus ejus: ascendunt usque ad Cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* **REFL.** Nos verò quando tales tempestates nobis obveniunt, sciamus illas dicente & permitente Deo nobis evenire.

VOL. Dicamus in ejusmodi difficultatibus ad Deum, id quod legitur. 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Discipulos ad Christum *dicentes: Domine salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: quid timidi estis modica fidei?* Matth. 8.

INTEL. Sic legitur in Psalmo supradicto: *& clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.* Sed Christus increpat modicam illorum fidem. **REFL.** Nobis quoque dici sæpè potest, *quid timidi estis modica fidei?*

VOL. Nos verò cum magnâ fiduciâ dicamus: *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Joan. 13.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum.* Matth. 8.

INTEL. Sic in periculis, & tempestatibus, Deum quasi dormientem; sed videntem, & permittentem omnia, suscitare debemus. **REFL.** Recordemur, quod Reg. 6. hebd. 1. *disc. spir.* docti simus modum suscitandi, qui est, *insistere orationi cum discussione sui, ac penitentia aliquid assumere.*

VOL. Deinceps in tempestatibus clamemus: *Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem: quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopia nostra, & tribulationis nostra,* &c. Ps. 43.

COLLOQ. Quibus petatur gratia fidei, spei, & fiducia in Deum, tempore tribulationis.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXII.

De sedatâ maris tempestate, Matth. 8.

Myft. punct. 3.

CONG. Sicut in præcedenti dictum,

PRÆL. I. Quomodo Christus sedaverit tempestatem, imperans vento, & mari.

PRÆL. II. Vide mare concitatum, & mox pacatum.

PRÆL. III. Petere gratiam, magno animo sequendi Christum, Regem omnipotentem.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Vidimus antè Discipulos timidos, & anxios dormiente Christo; nunc videamus illos erecto animo à somnis Christo suscitato.

INTEL. Hinc concludamus, quàm speciosum formâ, & aspectu amabilem, necesse sit esse Christum Imperatorem, & Regem nostrum, qui è sumno excitatus uno quasi oculorum aspectu depellit omnes timores. REFL. Nos ipsos consulamus; inveniemus id nobis etiam interdum usu venisse.

VOL. In desolatione dicamus Christo: *avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Pl. 29. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.*
Pl. 79.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Matth. 8.

N S

IN

INTEL. Dicunt, & interrogant homines; Qualis est hic? David respondet Ps. 46. *Rex magnus super omnem terram.* REFL. Nos verò ad Christum conversi, dicamus cum eodem Davide Ps. 43. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, &c.* Respondeamus quoque cum S. P. Nostro: *Rex supreme, Domine universorum,* etiam ventorum, & maris.

VOL. Excitemus affectus reverentiæ, laudis, & amoris erga Regem tam amabilem, & potentem.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna* Matth. 8.

INTEL. Ex hoc opere manifesta fit omnipotentia Regis nostri: imperando facit tranquillitatem, *Quoniam ipse dixit, & facta sunt.* Ps. 32. REFL. cogitemus, quàm ignavi milites futuri simus, si sub Regis tam amabilis, & omnipotentis vexillo militantes, timeamus.

VOL. Erigamus nos per certam spem, & fiduciam; & erecto animo juxta Contemplationes Regni Christi. & de 2. Vexillis, statuamus quàm proximè Christum sequi; nullas timentes tempestates, aut persecutiones, sub omnipotente capite.

COLLOQ. *De 2. vexillis.* RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXIII.

De ambulatione super aquas. Matth. 14.

Myft. punct. I.

CONG. Huic hebdomadæ propria.

PRÆL. I. Quomodo Christus Discipulis in naviculam abire juffis, dimiffâ turbâ, ascenderit in montem orare.

PRÆL. II. Aspiciere montem mari vicinum.

PRÆL. III. Petere gratiam orationis, & conjunctionis cum Deo.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum in monte solum orantem. *Ascendit in montem solus orare. Matth. 14.*

INTEL. Ex hac solitudine discimus id, quod dicitur Matth. 6. *Ora Patrem tuum in abscondito.* Hoc est, in secessione, sive separatione à tumultu hominum, & rerum sæcularium: ex qua solitudine oriuntur fructus, quos S. P. Noster describit An. not. 20. REF. Nos verò interdum laboramus morbo prorsus opposito, & contrario Spiritui Orationis: hoc est, morbo *effusionis ad exteriora*, de quo agitur *Industr. Cap. 6.*

VOL. Amemus, ad orandum cum Christo, solitudinem, & statuamus proximâ occasione, sedulò perlegere illud Cap. 6. *Industr. de effusione ad exteriora*, & remedia ibi proposita adhibere.

PUN.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Audire nos imaginemur orationem, & colloquium Christi cum Patre.

INTEL. Haud dubiè dicebat sæpè orans illud Ps. 39. *Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus voluit, &c. Annunciaui justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ.* Et verè hoc dicebat: Nam eodem die justitiam annuntiaverat ingenti hominum multitudini. **REFL.** Nos, qui sumus in Societate Jesu, debemus cum Deo etiam ità loqui. Nam nostræ quoque vocationis est & annunciare justitiam Dei in Ecclesiâ magnâ.

VOL. Quando igitur colloquimur cum Deo, cum ingenti zelo dicamus. *Docebo iniquos vias tuas. Ps. 50. &: Os meum annuntiabit justitiam tuam. Ps. 70.* idque ità ut verbis facta respondeant.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Compulit Jesus Discipulos ascendere in Naviculam, & præcedere eum trans fretum.* Matth. 14.

INTEL. Notemus vocem illam: *Compulit*, quæ indicatur, quòd Discipuli ægrè à Christo discesserint. **REFL.** Sic nos decet ægrè discedere à colloquio cum Christo in oratione, & non nisi compulsos per obedientiam, aut per opus aliquod veræ charitatis.

VOL. Conemur, quantum possumus, tollere obstacula, quæ nos avertunt ab oratione, & colloquio cum Deo. *Non impediaris orare semper.* Eccl. 18. Nam conversatio nostra in Coelis, & cum Deo debet esse. Accutemus in hoc negligentiam nostram.

COL

COLLOQ. *De 2. vexillis*, illud nominatim postulando, ut liceat frui conversatione cum Christo, humili quidem loco degente, & constituto; sed tam specioso, & amabili, ut tormentum sit ab eo avelli.

RECOLLECTIO. REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXIV.

De ambulatione super aquas. Matth. 14.

Myft. punct. 2.

CONG. Ut sæpius dictum.

PRÆL. I. Quomodo, cum noctu Navicula agitaretur fluctibus, venerit ambulans supra mare: perterritis Discipulis putantibus phantasma esse.

PRÆL. II. Videre turbatum mare, super quo Christus ambulavit.

PRÆL. III. Petere robur, & constantiam, & fiduciam in laboribus, & desolationibus ac tribulationibus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* Matth. 14.

INTEL. Consideremus igitur personas Discipulorum, cum navicula jactatas in medio mari, lassatas laborando contra ventum contrarium. Sic Christus suos per adversa permitit tentari. REFL. Meminerimus quod in Contemplatione Regni Christi vitam ejusmodi laboriosam edocti sumus: *laboret mecum necesse est*, dicit ibi Christus.

VOL.

VOL. Dicamus cum Christo: *pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ* Ps. 87. & paremus nos cum Apostolo 2. Tim. 3. *ad fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, &c.*

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Discipuli videntur eum super mare ambulans, turbati sunt, dicentes: *Quia phantasma est. Et pro timore clamaverunt.* Matth. 14.

INTEL. Erant Discipuli in tenebris, erat enim quarta vigilia noctis; ideò tam aliena à vero dicebant, & clamabant. REFL. Sic in tenebris desolationis, cautè debemus procedere, & facilè erramus in discernendis spiritibus: ideoque juxta Reg. 4. hebd. 1. *de discern. spirit. tunc nihil deliberandum, aut innovandum est.*

VOL. Nos igitur clamemus in nocte tribulationum nostrarum, dicamusque: *Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 17.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus venit ad eos ambulans super mare. Matth. 14.

INTEL. Vidimus illum imperantem ventis, & mari: nunc videmus illum pedibus mare calcantem: adeò verum est Regem nostrum esse Dominum universorum, quamquam hîc etiam imperat tempestati, quæ erat in animis Discipulorum dicendo: *habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Matth. 14. REFL. Hinc discimus sicut habetur Reg. 2. Hebd. 2. *discern. Spir. quod solius est Dei,*

Dei, consolari animam, nulla præcedente consolationis causâ. Sicut hîc nulla præcedebat: Sed Christus tamquam Dominus universorum sedat tempestates interiores, & exteriores.

VOL. In tribulationibus, confugiamus ad Christum, Dominum universorum, dicendo: *Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ. &c. Pf. 68.*

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo, ut in tenebris tribulationum, possimus agnoscere, & vitare fraudes mali spiritus. RECOLL.

MEDITATIO LXV.

De ambulatione super aquas. Matth. 14.

Myst. punct. 3.

CONG. Delibare instantem meditationem more hujus hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Petrus ambulaverit super aquas, & quomodo ventus cessaverit.

PRÆL. II. Conspicari medium mare, ubi hæc fiebant. Nam *in medio mari jactabatur Navis*, inquit Matthæus.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ fidei erga Christum.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Consideremus inter Discipulos, qualis fuerit Petrus, viso, & agnito JESU ambulante super aquas.

IN

INTEL. MOX apparebat, & elucebat in eo singularis quædam fides, & amor inflammatus erga Christum, qui non ferebat moram, quâ Christus veniret ad ipsum; sed instar ignis rapiebat se ad dispositam vicinam materiam. REFL. Componamus languidam nostram fidem, & frigidum amorem, cum illo Petri.

VOL. Excitemus in nobis actum fidei firmæ, cœcæ, vivæ, constantis, fortis, zelosæ. Actum item amoris erga Christum, ardentis, velocis, generosi, intrepidi, agentis, & unicum Jesum suspirantis. *Fortis est, ut mors dilectio*, Cant. 8.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus Petro ambulanti super aquas, & ob validum ventum timenti, dixit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Matth. 14.

INTEL. Per ventum validum intepuerat charitas Petri, amore languescente timuit: Nam *perfecta charitas foras mittit timorem*. 1. Joan. 4. & hunc languorem ac timorem Christus per illa verba in Petro reprehendit REFL. Respiciamus nos ipsos, & cogitemus, quoties non ventum validum tribulationis; sed sæpè ob levem: reprehensione illâ nos dignos effecerimus: *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

VOL. Cum Davide identidem dicamus: *Non timebo millia populi circumdantis me*. Ps. 3. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Ps. 22. *Domineus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Ps. 26. *Non timebo, quid faciat mihi caro... in Deo speravi non timebo, quid faciat mihi homo*. Ps. 55.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Jesus, & Petrus, cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: verè Filius Dei es.*
Matth. 14.

INTEL. Non cessabat ventus, quàm diu erant in mari; sed mox cessavit, ut Christus fuit in Naviculâ. REFL. Sic ventus desolationis, & tribulationis non solet cessare, quàm diu ambulamus inter fluctus rerum mundanarum: at si cum Christo ascendamus naviculam, vel veræ ejus Ecclesiæ, vel statûs Religiosi, vel interioris cordis nostri: tunc facillè cessabit ventus & agnoscemus ac adorabimus Filium Dei.

VOL. Oremus humiliter, ut Christus ascendat in Naviculam cordis nostri, tunc fiet quod scriptum est. 2. Cor. 4. *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Quem adoremus in charitate, gaudio, pace, &c. cessantibus ventis.

COLLOQ. De 2. vexillis, orando nominatim, ut habitet Christus in cordibus nostris, & ut superemus omnes ventos tribulationis, quos foris suscitât Dux impiorum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

O MEDI.

MEDITATIO LXVI.

De missis ad prædicandum Apostolis.

Matth. 10.

Myſt punct. 1.

CONG. Desiderium cognoscendi clariùs Christum, ut dictum est.

PRÆL. I. Quomodo Discipulis data sit potestas eijciendi dæmones, & morbos sanandi.

PRÆL. II. Aspicere locum campeſtrem, in quo Christus cum Discipulis convocatis agebat.

PRÆL. III. Petere gratiam ſatisfaciendi Apoſtolicæ vitæ, ad quam vocati ſumus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus duodecim Apoſtolos electos à Christo, qui *discendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri.* Luc. 6.

INTEL. Consideremus Christum cum ſuis, in æmœno campo, humili, plano, & campeſtri conſtitutum loco; quæ omnia cordis latitudinem designant; cum Apoſtolis item pauperibus, rudibus, humilique natis loco: & his opponamus campum babylonicum Luciferi. REFL. Eligendus hîc nobis eſt dux alteruter.

VOL. Averſantes campum babylonicum, totos nos convertamus ad apertum & campeſtrem locum, ad paupertatem, & humilitatem Christi, & Apoſtolorum.

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus verba Christi ad Apostolos: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Luc 10. *infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones ejicite.* Matth. 10.

INTEL. Nullus umquam Dux aut Rex dedit, aut dare potuit tantam potestatem suis militibus. **REFL.** Hinc discamus quantis animis contra demones, ejusque ministros pugnare debeamus.

VOL. Juxtà Reg. 12. hebd. 1. *discr. spir.* tamquam spirituales athletæ omnibus adversis resistamus: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pl. 22.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Hos duodecim misit Jesus.* Matth. 10.

INTEL. Hoc est, quod habetur Rom. 10. *Quomodo verò predicabunt, nisi mittantur?* Necessaria est Missio à Christo facta, vel per se, vel per eos, quos suo loco vult audiri, & quibus vult obediri.

REFL. Applicemus hoc nobis, & Missionibus Societatis, sive hæ ex voluntate Vicarii Christi, sive ex voluntate Superiorum fiant.

VOL. Decernamus apud animum nostrum, dum occasio erit, legere pulcherrimas nostras Constitutiones Part. 7. cap. 1. *de Missionibus summi Pontificis.* & Cap. 2. *de Missionibus Superioris Societatis* & cap 3. *de libera ad hanc vel illam partem professione:* & illarum spiritum in nobis excitemus.

COLLOQ. De 2. vexillis. RECOLLECTIO.

O 2

MEDI-

MEDITATIO LXVII.

De missis ad prædicandum Apostolis

Matth. 10.

Myff. punct 2.

CONG. Ut supra.

PRÆL. I. Quas virtutes Christus voluit inesse iis, quos mittebat.

PRÆL. II. Aspicere campum, in quo suos Christus instruebat.

PRÆL. III. Petere gratiam, & virtutes Spiritus Apostolici.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Apostolos jam accinctos ad prædicandum per universum Orbem.

INTEL. Sicut Christus paupertatis spiritum vult omnibus prædicari; sic Apostolos suos more habitu pauperum voluit esse instructos, non possidentes aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis... non peram in viâ, neque dubas tunicas, neque calceamenta, neque virgam

Matt. 10. REFL. Examinemus hîc Spiritum paupertatis nostræ juxta Constitutiones nostras quæ volunt, ut etiam sine viatico, & more pauperum ad Missiones eamus.

VOL. Renovemus affectus erga primum virtutis gradum, qui est paupertas, elicitos in Medit. de 2. vexillis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Dixit Christus: *estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Matth. 10.

INTEL. Prudentia est, sicut loquitur Apostolus 1. Cor. 9. *Ne forte cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.* Inde prudentes virgines Matth. 25. vocantur, quæ caverunt, ne lampades suæ extinguerentur. Simplicitas oritur ex Spiritu paupertatis: Nam ex cupiditate oritur omnis duplicitas. REFL. Examinemus duas has virtutes in nobis.

VOL. Convertamus nos ad Christum suspirando, anhelando, postulando, ut nobis det gratiam duarum harum virtutum viro Apostolico necessariarum.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Indagemus causas, cur, præter simplicitatem, Christus prudentiam docuerit.

INTEL. Ratiocinemur paucos ad eò Apostolos, mitti ad innumeros lupos. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Matth. 10. *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. REFL. Concludamus inter tot lupos, & quidem ovinis pellibus vestitos, opus esse tam Apostolis, quàm nobis magnâ prudentiâ.

VOL. Diffidamus nobis inter tot pericula & suppliciter petamus dona Spiritûs Sancti, donum *Sapientia, intellectûs, consilii.* &c.

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo nominatim, exploratas habere fraudes mali dæmonis, & per gratiam evitare posse.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXVIII.

De missis ad prædicandum Apostolis.

.Matth. 10.

Myft. punct. 3.

CONG. Ordinaria.

PRÆL. I. Quomodo Christus gratis voluerit Apostolos dare, & quæ sit materia prædicationis.

PRÆL. II. Aspicerere orbem universum, tamquam theatrum prædicationis.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut sub vexillo Christi, resistentes diaboli fraudibus doctrinam Christi ubique divulgemus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus illum in campo Babylonico ducem impiorum: hinc in loco campestri Christum cum suis Apostolis.

INTEL. Sub diaboli vexillo omnia sunt plena perturbatione, fumo, igne, terrore. &c. Sub Christi vexillo omnia plena charitate, concordia, pace. &c. REFL. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6. nobis igitur alterutrum vexillum est eligendum.

VOL. Detestemur vexillum diaboli, & audiamus & sequamur Christum dicentem: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus utriusque ducis sermones sibi oppositos, & inter se contrarios.

INTEL. Dux impiorum hortatur suos, ut *homines primum trahant* (quod ferè contingit) *ad cupiditatem divitiarum*. Christus ex adverso dicit: *gratis accepistis, gratis date*. Matth. 10.
REFL. Si elegerimus vexillum Christi, necesse est ipsius verba audire, & sequi.

VOL. O! sanctam, & verè evangelicam Regulam 27. Summarii! *meminerint se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, &c.* hanc Regulam cordi infixam habeamus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Aspiciamus quid Ministri Ducis Impiorum, & quid contra hos Ministri Christi in mundo agant,

INTEL. Ministri ducis impiorum, ubique spargunt doctrinam *carnis, sensuum, amoris proprii, & mundani* rebellionem conformem: Apostolici viri faciunt, quod Christus eis mandavit, dicens: *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum*, Matth. 10. REFL. oportet nos ad Societatem Jesu vocatos idem agere, tum in privatis congressibus, tum in prædicationibus.

VOL. Gratias Christo agamus pro beneficio vocationis, & juxtà Reg. 2. summ. *studeamus impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere*: Evangelizando omnibus Regnum Cælorum, Evangelium Regni, & doctrinam Regni ac vexilli Christi.

COLLOQ. De 2. vexillis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXIX.

De Conversione Magdalene. Luc. 7.

Myft. punct. 1.

CONG. Prægustare incredibilem Christi in nos
Amorem.

PRÆL. I. Quomodo mulier peccatrix, Christo
accumbente mensæ in domo Pharisæi, ingressa
fit, portans Alabastrinum vas unguento plenum.

PRÆL. II. Intueri domum Pharisæi, cubiculum,
&c.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut benè præparati ac-
cedamus ad Christum, orandi, & meditandi, &
postulandi causâ.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Christus *ingressus*
domum Pharisæi discubuit. Luc. 7.

INTEL. Contemplemur personam Christi mensæ
accumbentis, ejus modestiam, continentiam,
temperantiam, &c. REFL. Comparemus cum
hisce virtutibus nostram propensionem, & effusio-
nem in cibum, & potum.

VOL. Sicut Christus cibo, & potu non est usus, ni-
si quatenus proderant ad finem, ob quem à Patre
erat missus. Sic nos, prout in *Fundamento* didici-
mus, solum finem creationis, & vocationis nostræ
in iis spectare decernamus. Doleamus, quod ab
illâ intentione finis deviaverimus & statuamus
benè intelligere, & servare *Regulas de victu tem-
perando.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Colloquia, & sermones Christi discumbentis.

INTEL. Haud dubiè loquebatur illis de Regno Dei. Luc. 9. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth. 12. **REFL.** Exploremus quid abundet in corde nostro. Si enim abundet rebellio carnis, sensuum, amorisque proprii, & mundani, exprobrabitur nobis illud. Matth. 12. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?*

VOL. Accusemus coram Deo cor nostrum, quod abundat tot vanis, & sæcularibus cogitationibus: inde verba otiosa, & sæcularia. Agamus, ut fiat in nobis, quod Apostolus monet Ephes. 5. *implemini Spiritu Sancto.* tunc dicere poterimus: *eructavit cor meum verbum bonum.* Ps. 44.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix ... attulit alabastrum unguenti.* Luc. 7.

INTEL. Peccatrix illa, volebat postulare, & impetrare remissionem peccatorum; sed antequam accedat ad orandum & postulandum, præparat alabastrum unguenti. **REFL.** Nos hinc discamus antequam ad orandum accedamus, parare unguenta bonorum desideriorum, juxtà illud Eccl. 18. *Antè orationem prepara animam tuam.*

VOL. Diligenter deinceps exequamur omnia, quæ S. P. Noster in libro Exercitiorum præscribit, tum pridie, tum ipso die manè, antè orationem; nec non in ipsâ Meditatione, & post eam; sic enim opti-

O s

ma

ma erit præparatio, & prosecutio orationis.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam benè loquendi cum Deo, & de Deo.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXX.

De Conversione Magdalene. Luc. 7.

Myft. punct. 2.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo mulier illa rigaverit lacrymis, & unxerit pedes Jesu.

PRÆL. II. Intueri locum, in quò Christus discumbibat.

PRÆL. III. Petere gratiam humilis, & veræ pœnitentiæ, eamque promptè exequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Erat mulier illa *stans retrò secus pedes ejus. Luc. 7.*

INTEL. Mulier illa erat retrò stans, reputans se indignam, quæ faciem Christi aspiceret: perinde sicut publicanus *nolebant nec oculos ad Cælum levare. Luc. 18.* REFL. Hæc sunt signa veræ pœnitentis, ad quæ pœnitentiam, & compunctionem cordis nostri explorare possumus.

VOL. Dicamus cum pœnitente Davide Pf. 68. *Operuit confusio faciem meam,* & indignos nos agnoscamus, qui, post peccata nostra, faciem Dei aspiciamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Recordemur nulla verba pœnitentis illius mulieris referri ab Evangelistâ.

INTEL. Ratiocinemur, quod *lacryma pondera vocis habent*, & loquebatur cogitationibus suis, quas Christus intelligebat: & haud dubiè hæc vel similia tacitè Christo dicebat: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicias.* Ps. 50. **REFL.** Tales voces interiores deberent cordibus nostris in sculptæ esse.

VOL. Punctum hoc, invitat nos ad pœnitentiam, dicamus itaque Psalmum 50. *Miserere mei Deus.* &c. conjungentes pœnitentiam nostram cum pœnitentiâ illius mulieris.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Mulier illa, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Luc. 7.

INTEL. Omnia hæc, demonstrant perfectam contritionem, ortam ex charitate erga Christum. **REFL.** Nos singula illa amoris opera nobis applicemus.

VOL. Effundamus nos totos, in contritionem, & in amorem ergà Christum: *ut ipsi serviam.* inquit S. P. Noster, *& adhærescam tantò propensius; quantò incredibiliorem erga me bonitatem ejus perspexero.* talia in matutina congrua cogitatione sæpè revolvamus, & exemplo hujus mulieris, etiam opere ipso demonstramus.

COLLOQ. Conformia primæ hebdomadæ.

RECOLLECTIO.

ME

MEDITATIO. LXXI.

De Conversione Magdalene. Luc. 7.

Myft. punct. 3.

CONG. Desiderium cognoscendi incredibilem Christi erga nos bonitatem.

PRÆL. I. Quomodo Christus remiserit Mulieri peccata, & quomodo illam defenderit contra Pharisæum.

PRÆL. II. Mente consistere in loco convivii.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ contritionis & contemnendi iudicia hominum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Videns autem Phariseus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: hic si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Luc. 7.*

INTEL. Consideremus in Pharisæo illo superbiam, à quâ in alia vitiorum genera præceps fit decursus, veluti, in despectum aliorum, & iudicia temeraria. Erat ex illo genere hominum, qui dicunt: *Recede longè à me, noli me tangere, quoniam mundus sum. Isa. 52.* **REFL.** Ex eodem superbiæ fonte oriuntur nostra iudicia temeraria, & despectio aliorum, contra id quod Christus dixit: *nolite iudicare, ut non iudicemini. Matth. 7.*

VOL. Amplectamur spiritum humilitatis, & oremus Deum: *Extollentiam oculorum ne dederis mihi. Eccl. 23.*

PUN

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7.

INTEL. Hinc discamus præstantiam charitatis, & contritionis perfectæ. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. **REFL.** Examine-
mus charitatem, & contritionem nostram.

Vol. *Nondiligamus verbo, neque linguâ; sed opere, & veritate* 1. Joan. 3. lacrymis scilicet, osculando, unguendo pedes Jesu; hoc est, membra ejus, quæ sunt proximi, & Fratres ejus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus agit patronum mulieris, contrâ Pharisæum, adducendo parabolam duorum debitorum.

INTEL. *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem.* Eccl. 4. hæc videlicet est pravitas hominum, à quibus miseri rarò accipiunt consolationem: At verò *Deus consolatur nos in omni tribulatione nostrâ,* 2. Cor. 1. **REFL.** Discamus hinc primum à Deo sperare certam consolationem, non ab hominibus: deinde, quòd non debeamus sequi pravitatem plerorumque hominum: nam Deus consolatur nos, *ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt.* 2. Cor. 1.

Vol. Renovemus affectus erga tres illos virtutum gradus, desiderium scilicet paupertatis, contemptû, & humilitatis, & statim aderit non tantum consolatio à Deo, sed charitas quoque consolandi proximos.

COLLOQ.

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo, ut per tres illos perfectionis gradus ascendere possimus ad Charitatem juvandi, & consolandi afflictos.
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXXII.

*De quinque millium hominum refectio-
ne. Matth. 14.*

Myst. punct. 1.

CONG. Desiderium cognoscendi magis bonitatem Christi in nos.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli videntes tantam hominum multitudinem sine annona, rogaverint Christum, ut turbas dimitteret.

PRÆL. II. Videre locum, & campos, ubi cum Christo erat illa multitudo.

PRÆL. III. Petere gratiam, proximè Christo adhærendi, eumque sequendi cum ingenti fiducia.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. *Turba secuta sunt eum pedestres de Civitatibus, Matth. 14.*

INTEL. Contemplemur hîc pulcherrimam speciem paupertatis. Turbæ erant *pedestres*. Non erant *soliciti*... *dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus?* Matth. 6. unum Christum quærebant. Inter has turbas intueamur Christum, & ipsum *pedestrem*, ac pauperem, *humili quidem constitutum loco; sed valde speciosum*

for-

formâ, & aspectu summè amabilem, qui omnes ad se alliceret. REFL. Concludamus, nos non fore sanæ mentis, si cum turbis illis tam amabilem Duce[m] non sequamur.

VOL. Excitemus amoris affectum, & voluntatem sequendi Christum per tertium modum humilitatis, cœtera omnia, quæ ad corpus spectant, permittendo ipsius curæ juxtâ Exangelium.

PUNCTUM II. VERBA, MEM. Discipuli Christo dixerunt: *dimitte turbas, ut euntes in Castilla emant sibi escas*. Matth. 14.

INTEL. Ex his discimus, quod non tantum turbæ; sed etiam Discipuli optimè servarint doctrinam Christi. *Nolite ergò solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus?* Nam Discipuli pro se nihil solliciti, pro solis turbis rogant. REFL. Componamus immodicam nostram sollicitudinem, cum hoc exemplo.

VOL. Magnâ cum fiducia offeramus nos ad sequendum Christum, memores promissionis nobis factæ. Matth. 6. *Quarite ergo primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

PUNCTUM. III. OPERA, MEM. Christus exiens vidit turbam magnam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum, vespere autem facto accesserunt ad eum Discipuli, &c. Matth. 14.

INTEL. Consideremus hîc labores Christi, mixtos charitate & misericordiâ, toto die usque ad vesperam productos. REFL. Meminerimus nobis dictum: *Quisquis eò* (hoc est in Patris Gloriam)

me-

mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.

VOL. Generoso animo paremus nos ad laborandum cum Christo, & renovemus affectus Contemplationis regni Christi.

COLLOQ. Conformia eidem Contemplationi,
RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXIII.

*De quinque millium hominum refectio-
ne. Matth. 14.*

Myft. punct. 2.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Quomodo Christus panes benedictos turbis per Discipulos jufferit apponi.

PRÆL. II. Videre locum desertum, in quo hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christo vocanti cœcè obediendi, & ipsum sequendi etiam per ardua.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Christus jussit *turbam discumbere super fœnum. Matth. 14.*

INTEL. Circumspiciamus hunc exercitum sub vexillo Christi. Nam *fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis. Matth. 14.* discumbebant omnes *tamquam castrorum acies ordinata. Cant. 6.* Nam *discubuerunt in partes, per centenos, & quinquagenos. Marc. 6.* idque humili lo-

co, imò humi super fœnum. Inde convertamus oculos ad campum Babylonicum, ubi Dux impiorum sedet in Cathetrâ igneâ, & fumolâ, & ubi omnia perturbatione, & horrore sub ejus vexillo sunt plena. REFL. Eligendum alterutrum vexillum. Nam *nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 6.

VOL. Curramus ad Vexillum Christi, & renovemus antè conceptos affectus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit Discipulis: *date illis vos manducare.* Matth. 14. talia autem nominatim dicebat Philippo *tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset factururus.* Joan. 6.

INTEL. Sic tentavit Deus Abraham. Gen. 22. Sed ejusmodi tentatio sive probatio juxta Reg. 5. hebd. 2. *disc. spir.* semper tendit ad bonum, *circa principium, medium, & finem.* Dum verò diabolus tentat, semper *per discursum mentis aliquid offertur: vel sequitur, quod ex se malum sit,* & hoc modo Deus *neminem tentat.* Jac. 1. REFL. Concludamus æquum, & necessarium esse, ut vigilemus, ne per diaboli tentationes decipiamur.

VOL. Oremus ut exploratas habere possimus fraudes mali dæmonis, & juxta Regulas *de disc. spir.* discernere Dei tentationem, & probationem: à diaboli insidiis. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Ps. 25.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus *dedit Discipulis panes.* Discipuli autem *turbis.* Matt. 4.

INTEL. Sic Deus vult nos per manus Ministrorum
P suo.

suorum, & Superiorum nostrorum accipere sua beneficia: ut sic humilem obedientiam exerceamus. **REFL.** Examinemus obedientiam nostram juxta Regulas; & an Superiores Christi loco habeamus.

VOL. Exerceamus nos in tertio gradus humilitatis, ejusque affectus identidem excitemus; sic sponte sua succedet perfecta obedientia. Nam *nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus.* S. Leo in Epist. S. P. Nostri de obed.

COLLOQ. Ut ad tres modos humilitatis. **RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.**

MEDITATIO. LXXIV.

De quinque millium hominum refectioe.

Matth. 14.

Myst. punct. 3.

CONG. More solito.

PRÆL. I. Quomodo comederint, & saturati fuerint, & superaverint cophini duodecim.

PRÆL. II. Intueri locum, in quo turbæ ordinatè discumbabant.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum cum magnâ spe, & fiducia sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Speculemur convivium illud, in quo turbæ sedebant secundum contubernia *super viride fœnum.* Marc. 6. & Jesus cum suis Discipulis ministrabat.

INTEL. Fuit illud quasi figura cœlestis illius convivii,

vivii, in quo, qui Christum fuerint in mortali, & brevi vitâ benè secuti, *faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Luc. 12. REFL. Hoc nobis erit præmium pauperis ac humilis modi vivendi, in cibo, & potu.

VOL. juxtâ ea, quæ in Contempl. *Regni Christi* meditati sumus, statuamus non alio uti victu, quàm quo Christum Regem nostrum utentem conspexerimus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Circumeamus & laudamus turbas illas loquentes.

INTEL. Audiemus aliquos dicentes, quod de manna dixerant Filii Israël: *Manhu? quod significat, quid est hoc?* Exod. 16. Item illud ibidem: *iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Alii dicere poterant: *dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi.* Ps. 112. REFL. Cogitemus, quod nobis, qui vovimus paupertatem, Christus quoque per discipulos, hoc est superiores, victum distribuât, & similiter ipsam laudare debeamus per Benedictionem & gratiarum actionem.

VOL. Deinceps cum singulari affectu laudis & gratiarum actionis, antè & post refectionem recitemus ordinarias preces, & interdum mente inter vescendum.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Manducaverunt omnes & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Matt. 14.

INTEL. Perpendamus abundantiam suavitatis &

P 2 *latu-*

saturitatis, ac liberalitatis, quâ Christus illos pascit, qui omnibus relictis ipsum toto corde sequuntur. REFL. Concludamus, quod tantò major quoq; abundantia liberalitatis sit futura erga nos: quanto melius servavimus obedientiam & paupertatem in cibo & potu.

VOL. Abhorreamus ab omni cibo & potu, qui per manus obedientiæ non datur, sanè illi illam saturitatem non sentient. Sed semper meminerimus, quod *edent pauperes & saturabuntur.* Pl. 21.

COLLOQ. Conformia Meditationi Regni Christi, & de duobus vexillis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXV.

De transfiguratione Christi. Matth. 17.

Myst. punct. I.

CONG. Desiderium magis & magis cognoscendi verbum incarnatum.

PRÆL. I. Quomodo coram tribus Discipulis transfiguratus fuerit Christus.

PRÆL. II. Repræsentare sibi montem, in quo transfiguratio est facta.

PRÆL. III. Petere gratiam, sic laborandi cum Christo, ut promissi præmii, participes fiamus.

PUNCTUM, I. PERSONÆ. MEM. Christus *ducit illos in montem excelsum seorsum.* Matth 17. hoc est Petrum, Jacobum, & Joannem.

INTEL. In Petro considerare possumus fervorem fidei

fidei & fiducia: In Jacobo desiderium paupertatis & contemptus, usque ad mortem: Nam, usque ad mortem, primus illa passus est: In Joanne Charitatem castam. REFL. Si velimus à Christo duci in montem excelsum, has virtutes in nobis elucere oportet.

VOL. Eliciamus cum Petro vivos actus fidei, & spei, cum Jacobo autem constituamus nos in tertio humilitatis gradu; idque non more hominum primæ, & secundæ classis; sed tertiæ classis, ut re ipsa, sicut Jacobus, & citò omnia illa cum Christo patiamur: ex hoc gradu humilitatis juxta tertiarum hominum classem; sponte suâ profluet castissimus amor erga Deum: & diligemur à Deo, sicut *Discipulus, quem diligebat Jesus*. Joan. 13.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Paucis diebus antè transfigurationem Christus dixerat: *Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem; donec videant filium hominis venientem in Regno suo*, Matth. 16. & post dies sex assumpsit Jesus &c. Matth. 17.

INTEL. Hisce verbis lenire voluit Christus sensum, quem Discipuli habebant ex iis, quæ prædixerat de suâ passione. REFL. Sic in contemplatione Regni Christi ea, quæ dicuntur de laboribus pro Christo, & cum Christo subeundis, leniuntur hisce verbis: *particeps fiat victoria, & felicitatis unusquisque prout laborum ac molestiarum socius exstiterit*. Item illis: *laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit*.

VOL. Offeramus nos ad illos labores, & molestias expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatori nostris Jesu Christi. Tit. 2.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Matth. 17.

INTEL. Per splendorem illuminabuntur tenebræ nostræ, & deteris peccatorum sordibus, succedet candor niveus. Sed hæc gloria tribus tantummodo ostensa est. REFL. Sicut alii Discipuli ex testimonio horum trium, conceperunt majorem fidem, & spem, sic nos quoque spem, & fidem nostram ex hoc mysterio magis augere debemus.

VOL. Cum magnâ fide, & spe dicamus, Deus meus illuminat tenebras meas. Ps. 17. Scio quod Redemptor meus vivit. &c. Job. 19. tunc in lumine tuo videbimus lumen Ps. 35. tunc lavabis me, & super nivem dealbabor. Ps. 50.

COLLOQ. De 2. vexillis, cum advertentiâ ad Contemplationem Regni Christi, & ad præmium laboribus promissum.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXXVI.

De transfiguratione Christi. Matth. 17.

Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium cognoscendi verbi incarna-
ti.

PRÆL. I. Quomodo in transfiguratione Christi
locutus sit cùm Moyse, & Elia.

PRÆL. II. Imaginari sibi montem illum excel-
sum.

PRÆL. III. Petere gratiam fortiter, & constan-
ter Christum Regem sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Et ecce apparue-
runt eis Moses, & Elias. Matth. 17.*

INTEL. In Moyse contemplemur mansuetudi-
nem. *Erat enim Moses vir mitissimus. Num. 12.*
In Elia verò zelum: *Elias dum zelat zelum legis.*
1. Machab. 2. REFL. discamus hinc quod duo illa
debeant conjungi, & temperari.

VOL. Aspiremus ad Spiritum Sanctum, & petamus
donum *fortitudinis*, quod spectat ad zelum:
& donum *pietatis*, quod spectat ad mansuetudi-
nem.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Moyse, & Elias
erant cum eo loquentes. Matth. 17. & dicebant
excessum ejus, quem completurus erat in Jerusa-
lem. Luc. 9.*

INTEL. Loquebantur in illâ gloriâ, de futurâ Christi passione. REFL. Hoc est, quod docemur Reg. 10. hebd. 1. *disc. spir. quod fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente.*

VOL. Cum tribus illis Apostolis robaremus in consolatione animos nostros in futuram passionem, & desolationem; spem excitemus futuri auxilii, &c.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Indagemus causam, cur Moyses, & Elias Jesum cinxerint, & stipaverint.

INTEL. Ratiocinemur sic Christum ostendisse, se esse Dominum, vitæ & necis, vivorum, & mortuorum. Nam Moyses mortuus est *in terrâ Moab.* Deut. 34. Sed *ascendit Elias per turbinem in Cælum.* 4. Reg. 2. REFL. Hoc deberet nobis animos dare, ut ne *vel extremo vitæ discrimine objecto*, juxtâ 1. humilitatis modum peccemus mortaliter: & juxtâ 2. ut ad *brevitatem vitæ, ac longitudinem æquè sim propensus, ubi æqualis est Divina laudis, & salutis meæ occasio*, & ne venialiter quidem ob timorem mortis peccemus.

VOL. Imò ascendamus ad tertium humilitatis gradum, ejusque affectus renovemus: itâ ut nec spes vitæ, nec timor mortis, nos ab eo dejiciat: *sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Rom. 14.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis. RECOLL.

MEDITATIO LXXVII.

De transfiguratione Christi. Matth. 17.

Myft. punct. 3.

CONG. Perpendere incredibilem Christi amorem erga nos.

PRÆL. I. Quomodo Petrus voluerit ibi facere tria tabernacula, & quomodo vox de Cœlo venerit, & Christus consternatos Discipulos erexerit.

PRÆL. II. Intueri montem illum, in quo hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere gratiam proximè, & constanter sequendi Christum Regem nostrum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos mentis ad tres Apostolos.

INTEL. Perpendamus illos primùm ità absorptos, & quasi ebrios illo glorioso genere consolationis, ut Petrus omnium rerum humanarum oblitus, vellet ibi perpetuò manere, & mox *Discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Matth. 17. REFL. Hinc discimus non nimis fidendum esse consolationibus, quas Deus solet temperare: & ideò Reg. 11. hebd. 1. *disc. spir.* monemur, *ut ille idem affluente consolatione seipsum deprimat, ac vilifaciat, quantum potest.*

VOL. Hanc monitionem S. P. Nostri, sedulò observemus: Nam tuta est consolatio, quæ juncta est

humilitati. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est humilitate mea.* Pl. 118.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite.* Matth. 17.

INTEL. Hæc vox pluribus explicatur. 2. Pet. 1. qui testis est vocis sibi aliisque dictæ. **REFL.** Habemus ergo Regem Divinitus electum, Filium Dei, cui Principes, & populi omnes obedire debeant, & mandatum habemus: *ipsum audite.*

VOL. Igitur ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed renovemus desideria concepta in contempl. Regni Christi, dicamus illi: *& ego non sum turbatus te pastorem sequens.* Jerem. 17.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Ad consternatos Apostolos accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: *Surgite, & nolite timere... & præcepit eis Jesus dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth. 17.

INTEL. Nec ipsi Apostoli poterant se ab illo timore liberare, nec aliud aderat per quod liberarentur, nisi accessisset Jesus: qui cum tanta ostendisset, & fecisset, noluit ante resurrectionem hæc aliis narrari. **REFL.** Ex his intelligimus, quod solus est Dei consolari animam, nullâ præcedente consolationis causâ: prout pluribus explicatur Regul. hebd. 2. disc. spir. Discimus quoque fugiendos plausus humanos in hac vitâ.

VOL. Nos potius opprobria, & contemptum cum Christo desideremus, sicut sæpius meditati sumus.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXXVIII.

De Lazari suscitatione. Joan. II.
Myft. punct. 1.

CONG. Ut antè.

PRÆL. I. Quomodo Christus auditâ Lazari infirmitate, biduo substiterit.

PRÆL. II. Imaginari locum, ubi Jesus substiterit.

PRÆL. III. Postulare gratiam adhærendi Christo, inter quæcumque adversa.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos ad domum Mariæ, & Marthæ in Bethaniâ ubi Lazarus infirmus erat.

INTEL. Domus erat plena luctu ob infirmum, ac deinde mortuum Lazarum: & tamen diligebat autem Jesus Martham & Sororem ejus Mariam, & Lazarum Joan. II. REFL. Sic Deus personis & familiis, quas diligit, permittit adversa.

VOL. Dicamus cum Job. Cap. 6. *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat: nec contradicam sermonibus sancti. & Deo dicamus: amorem tui tantum cum gratiâ tuâ mihi dones, & dives sum satis, nec aliud ultrâ posco.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Cum discipuli persuaderent Christo ne iret in Judæam ad Lazarum, quia Judæi, quærebant eum lapidare, dixit Thomas: *eamus & nos, moriamur cum eo.* Joan. 11.

INTEL. Illa verba spirant non modò secundum humilitatis gradum: *ut fixo animo ad .. brevitatem vite ac aegritudinem æquè sibi propensus &c.* Sed etiam tertium; ut, quamvis æqualis esset divinæ laudis occasio, Christo tamen potius in morte optem assimilari. **REFL.** Examinemus nos circa hos gradus.

VOL. Dicamus nos quoque pleni fide, spe, & charitate: *eamus & nos, & egeamus, effectus patientatis, ludibria, opprobria, crucem patiamur cum Christo.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus de Lazaro, *ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Joan. 11.

INTEL. Etiam cum dixisset eis manifestè: *Lazarus mortuus est.* Joan. 11. erat etiam tunc in eodem loco. **REFL.** Sic Deus solet differre beneficia, quæ petimus, propter majorem suam gloriam, & majorem nostram utilitatem. Hoc indicant illa Christi verba: *infirmus hac... est... pro gloria Dei, &c.* & hæc: *Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, ut credatis, &c.* Joan. 11.

VOL. Expetamus à Spiritu S. fructum *patientie, & longanimitatis, & memores simus verborum,*

sa. 49 *Hac dicit Dominus : in tempore placito ex-
audiui te; & in die salutis auxiliatus sum tui.*

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXIX.

De Lazari suscitatione. Joan. 11.

Myft. punct. 2.

CONG. De more.

PRÆL. I. Quomodo antè suscitationem Chri-
stus fidem utriusque sororis exploraverit.

PRÆL. II. Mente adire domum istarum sororum
in Bethania.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ fidei.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Je-
sum in Bethaniâ, & Martham ei occurrentem,
deinde Mariam.

INTEL. *Multi autem ex Judæis, venerunt ad
Martham & Mariam, ut consolarentur eas de
fratre suo.* Hos omnes deserebant Martha & Ma-
ria, ut Christi colloquio & consolatione frueren-
tur. REFL. Nos quoque derelicto humano solatio,
ad pedes Christi cum Mariâ procidamus, *cecidit
ad pedes ejus.* Joann. 11. *Quia vana salus hominis.*
Ps. 59.

VOL. Prostrati ad pedes Jesu, dicamus *Deus to-
tus consolationis, qui consolatur nos in omni tribu-
latione nostrâ.* 2. Cor. 1.

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Martha dixit
 sus: ego sum resurrectio, & vita. qui credit
 in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & om-
 nis qui vivit, & credit in me: non morietur
 aeternum. Joan. 11.

INTEL. Christus est resurrectio, & vita, quia
 ipse causa meritoria, efficiens, exemplaris, & fi-
 nalis. Qui credit, etsi anima mortua fuerit pro
 peccatum, vivet, & corpus postea ratione animae
 viventis in gratiâ resurget, & vivet in aeternum.

REFL. Quis sanæ mentis, non cupidissime talem
 Ducem, Regem sequemur?

VOL. Pleni fide dicamus: *En O Rex supreme,* &c.
 ut in *Contempl. Regni Christi.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. De verbis prior
 puncto prolatis Christus interrogavit Mar-
 tham: *credis hoc?* Joan. 11.

INTEL. Noluit Christus patrare miraculum nisi
 ante perfectâ fide instruxisset Martham. **REFL.**
 Sic Deus nobiscum agit, exigit plenam fidem, an-
 tequam sua beneficia conferat: ut dici possit, *fides
 tua te salvam fecit.* Matth. 9.

VOL. Respondeamus cum Martha: *utique Do-
 mine ego credidi, quia tu es Christus, filius Do-
 vivi, qui in hunc mundum venisti.* Joan. 11.

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo ut vivâ cum
 fide Christo militare possimus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI

MEDITATIO LXXX.

De Lazari suscitatione. Joan. II.

Myft. punct. 3.

CONG. Desiderium magis, & magis cognoscendi omnipotentiam Christi.

PRÆL. I. Quomodo Christus suscitaverit Lazarum.

PRÆL. II. Intueri locum monumenti, in quo Lazarus erat sepultus.

PRÆL. III. Petere gratiam magnæ fiduciæ in omnipotentia Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Jesum, qui ut vidit Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant cum eâ plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum... & lacrymatus est Jesus. Joan. II.

INTEL. Christus perfectissimum Dominum habebat in omnes illas motiones animi; sed voluit se accommodare aliis, ut doceret nos gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Rom. 12.

REFL. Videamus, an hæctenus, intentione charitatis erga Deum, & proximum, secuti fuerimus hoc exemplum Christi.

VOL. Ità deinceps nos geramus, ut dicere possimus cum Apostolo 1. Cor. 9. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificarem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Quidam autem ex ipsis dixerunt: non poterat hic, qui aperuit oculos cæcinati, facere, ut hic non moreretur?* Joa. I. I.

INTEL. Poterant reprehendi illi, qui sic loquebantur, illisque responderi: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei: aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?* Sap. 9. **REFL.** Nos quoque tot mirabiles eventus videmus in Ecclesiâ Dei, & in multis hominibus tales vicissitudines, ut fortassis nos quoque dicamus: *non poterat?* &c. & cum Jeremiâ Cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur?*

VOL. Nos verò exclamemus cum Apostolo Rom. II. *O! altitudo divitiarum sapientia, & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus!* Et cum Davide. Ps. 72. *Postquam multis ostenderit de impiis, quod prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: dicamus cum ipso: existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est antè me: donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in novissimis eorum.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Christus voce magna clamavit: Lazare veni foras, & statim prodiit, qui erat mortuus.*

INTEL. Rex noster imperat vitæ, & morti, sic Luc. 4. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus... & stans super illam, imperavit febrim, & dimisit illam.* **REFL.** Sanè est vel sine verâ fide, vel sine sanâ mente, qui sub Rege tali omnipotentem militans, superari se finit à timore.

Vol. Memores semper simus illorum verborum ab illo Rege nostro nobis dictorum. Matth. 10. *vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Quapropter totos nos ipsi committamus. *Eno! Rex supreme ac Domine universorum, etiam vitæ & mortis, me tibi penitus offero, meaque omnia tuae subijcio voluntati. &c.*

COLLOQ. De tribus hominum classibus.
RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXI.

De Cœna apud Bethaniam. Matth. 26.

Myſt punct. 1.

CONG. Delibare instantem meditationem, more solito.

PRÆL. I. Quomodo Christus cum Lazaro resuscitato cœnaverit in domo Simonis leprosi.

PRÆL. II. Imaginari sibi locum Convivii.

PRÆL. III. Petere gratiam, diligendi Christum, cogitatione, verbo & opere.

PUNCTUM I. PERSONÆ, MEM. Aspiciamus Lazarum resuscitatum, sorores ejus, Simonem Leprosam; cæterosque Bethanienses, quomodo exceperint Jesum reducem in Bethaniam *ante sex dies Paschæ.* Joan. 12.

INTEL. Contemplemur in eis interiorem devotionem erga Christum; eorum fidem, spem, charitatem, reverentiam, cæterasque virtutes; conjunctas

Q

junctas

junctas cum gratissimâ memoriâ tanti miraculi.
REFL. Nos quoque decet cum memoriâ ejusdem,
pluriumque secutorum miraculorum, similes er-
ga Christum virtutes, & affectus in nobis sentire.

VOL. Prostrati antè Venerabilem Eucharistiam,
eructemus ex corde verba hæc: *memor ero ab ini-
tio mirabilium tuorum. & : Tu es Deus, qui facis
mirabilia.* Ps. 76.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire sermones,
qui tunc in Bethaniâ passim celebrabantur.
INTEL. Non tantùm interiori affectu; sed
verbis etiam Christum ejusque miracula depra-
dicabant, & narrabant etiam alibi. REFL. Sic nos
quoque præcones debemus esse beneficiorum, &
magnalium Dei.

VOL. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo:
narrabo omnia mirabilia tua.* Ps. 9. *Pronunciabo
mirabilia tua.* Ps. 70. *Narrabo nomen tuum Fra-
tribus meis, in medio Ecclesie laudabo te.* Ps. 21.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus erat in
Bethaniâ in domo Simonis Leprosi. Matth. 26.
*fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha mi-
nistrabat: Lazarus verò unus erat ex discumben-
tibus cum eo.* Joan. 12.

INTEL. Sic illi Christum diligebant non solùm
verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate. I.
Joan. 3. REFL. Nos verò cogitatione & verbo di-
ligimus, sed manemus in primâ, & secundâ homi-
num classe, & similes illi, qui *media, debitaque
adminicula toto vita tempore non admovent.*

VOL.

VOL. Non tantum corde; sed opere ipso offeramus Christo, domum nostram, divitias, honorem, sanitatem, vitam: paremus sic ipsi cœnam, & sic cum ipso *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitia; sed in azymis sinceritatis & veritatis.* I. Cor. 5.

COLLOQ. Prout notantur post tres hominum classes.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXXXII.

De Cœna apud Bethaniam. Matth. 26.

Myst. punct. 2.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Effudit Maria unguentum super caput ejus, ubi Christus cœnabat.

PRÆL. II. Videre locum cœnæ.

PRÆL. III. Petere inflammatum desiderium adhærescendi Christo tantò propensius; quantò incredibiliorem ejus in nos amorem conspiciamus.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Videamus accumbentem in domo Simonis Leprosi. *Lazarus verò unus erat ex discumbentibus* Joan 12 & *Martha ministrabat.* ibid. Maria verò parabat unguentum.

INTEL. Consideremus Lazarum animo & oculis

Q₂

fixum

fixum in contemplatione sui Servatoris : Martha interiorum devotionem ministrandi : Mariæ sollicitudinem ad dignum aliquem Christo honorem exhibendum : omnes plenos benevolæ in Christum Charitatis. REFL. Sic decet nos quoque interiori animo esse erga Christum Servatorem nostrum tam amabilem.

VOL. Totos nos effundamus in admirationem tantæ potentia, tantæque pulchritudinis Christi, contemplemur ejus in nos amorem, & beneficia, cogitemus, quomodo illi obsequium : reverentiam, & honorem præstare velimus, præsertim in cœna Eucharistica.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Imaginemur, quid personæ illæ eadem dixerint, aut potuerint dicere.

INTEL. Credibile est Lazarum exclamasse non semel intuendo Christum : *Redemptor vitæ meæ.* Thren. 3. Martham verò aliis ingeminasse : *Servite Domino in latitiâ.* Ps. 99. Mariam denique Christo sic locutam : *Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentula dilexerunt te.* Cant. 1. REFL. Applicemus nobis hæc omnia. Nam non minoribus titulis, debemus Christum diligere, eique servire.

VOL. Amemus Christum tamquam Creatorem & Redemptorem, & Dominum, & Deum nostrum : idque coram aliis voce etiam testemur, ipsum laudando.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Accessit ad eum Mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super Caput ipsius recumbentis. Matth. 26. & domus impleta est ex odore unguenti. Joan. 12.*

INTEL. Meritò Maria effudit illud unguentum supra caput Christi, tam amabile; quod plenum erat donis, & fructibus Spiritus Sancti; cujus virtutum odor, non tantum domum illam; sed, & totum Orbem terrarum, & Cœlum replet, & omnes recreat. REFL. Curemus ut nos quoque participes fiamus illius odoris, & dicere possimus: *Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2.*

VOL. Decernamus omni studio id agere, ut bono virtutum odore, omnes trahere conemur à vexillo diaboli, ad suave jugum, & vexillum Christi.

COLLOQ. De duobus vexillis. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXIII.

De Cœnâ apud Bethaniam Matth. 26.

Myst. punct. 3.

CONG. De more.

PRÆL. I. Quomodo Christus Mariam defende-
rit, contra Judam obmurmurantem.

PRÆL. II. Conspicere locum convivii.

PRÆL. III. Petere gratiam contemnendi hominum judicia, & sequendi pauperem Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. A Maria ungente Caput Christi, convertamus nos ad alios præ-sentes. *Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos . . . & fremebant in eam.* Marc. 14. *videntes autem Discipuli indignati sunt,* Matt. 26.

INTEL. In Meditatione de 2. vexillis benè excitamur ad opprobrii, contemptusque desiderium. Nam benè Christo servientibus, perversa hominum judicia sunt subeunda. **REFL.** Cogitemus quàm stultè egerimus, dum ob timorem judiciorum humanorum obsequium Christi omisimus.

VOL. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die . . . qui autem judicat me Dominus est.* I. Cor. 4.

PUNCTUM. III. VERBA. MEM. Christus autem dixit *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me, &c.* Matth. 26.

INTEL. Perpendamus quomodo Christus defendat Mariam, quàm fortiter, & aptè, significans etiam, hanc unctionem referri ad sepulturam suam. **REFL.** Concludamus Mariam ab illà Christi defensione tantum solatii habuisse, ut non moveretur indigno fremitu aliorum, idemque nobis eventurum, si judicia, & opprobria hominum contemnamus.

VOL. Renovemus desideria patiendi opprobria, & contemptum propter Christum; *bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Ps. 117.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Indagemus causam, cur Judas ita obmurmuravit: Nam ipse præcipue fuit indignatus, ut significatur Joan. 12.

INTEL. Causa patet ex eodem Joannis loco, *quia fur erat*, inquit. REFL. Hinc discamus, quando diabolus aliquem tenet vinctum laqueis, & catenis cupiditatis divitiarum, quomodo *in alia vitiorum genera omnia præcepit decursus*.

VOL. Toto cordis affectu detestemur vexillum diaboli, & amplectamur paupertatem, & opprobrium crucis Christi.

COLLOQ. *De 2. vexillis.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXXXIV.

De die Palmarum. Matth. 21.

Myft. punct. 1.

CONG. Deliberare instantem Meditationem, &c.
PRÆL. I. Quomodo Christus, volens intrare Jerosolymam, jufferit sibi adduci asinam, & pulum.

PRÆL. II. Conspicari *Bethphage ad montem Oliveti*, ubi hæc facta. Matth. 21.

PRÆL. III. Petere gratiam, obediendi Christo, & sequendi ejus vestigia.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus Jesum in Bethphage: *cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad Montem Oliveti.* Matth. 21.

REFL. In Bethphage erat vicus, in quo alebantur agni Paschales, quos Sacerdotes ducebant in Templum in Paschate immolandos: voluit videlicet Christus, ad suam, quam sciebat instare mortem, parare se in Bethania, hoc est in domo obedientiæ, ut humiliaret se *factus obediens usque ad mortem.* Ex Bethaniâ venit in Bethphage, ut quasi agnus Paschalis immolandus Jerosolymam duceretur. REFL. Hinc discimus per humilem obedientiam nos debere parari, ut cum Christo vitam, sanitatem, divitias, honorem, & nos totos Deo immolemus.

VOL. Altè animo insculptum conservemus illud. Phil. 2. *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Aspiremus ad tam humilem obedientiam, eamque sub vexillo Christi petamus.

PUNCTUM III. VERBA. MEM. Christus Discipulis duobus ait: *Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum eâ: solvite, & adducite mihi; & si quis vobis aliquid dixerit, dicite; quia Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos.* Matth. 21.

INTEL. Hæc Christi verba continent multiplicem prophetiam, ut consideranti patet. REFL. Agnoscamus ex his divinam dignitatem Imperatoris nostri, sub cujus vexillo militamus. VOL.

VOL. Adoremus itaque eum, revereamur, laudemus, amemus ipsum, ex toto corde,

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Euntes autem Discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus: & adduxerunt asinam, & pullum.* Matth. 21.

INTEL. Perpendamus hinc fidem Discipulorum, quâ crediderunt Christo, res absentes, & futuras enuntianti; & promptam ac cœcam fidem, & obedientiam. REFL. Exploremus ad hæc fidem, & obedientiam nostram.

VOL. Consecremus nos omnes cœcæ, & humili obedientiæ; ex amore erga Christum.

COLLOQ. De 2. vexillis, postulando tres illos perfectionis gradus, qui perfectam obedientiam, & virtutes omnes statim introducunt. RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXV.

De die Palmarum. Matth. 21.

Myst. punct. 2.

CONG. Non mutatur.

PRÆL. I. Quomodo Christus asinam ascenderit, Apostolorum vestibibus intratam.

PRÆL. II. Intueri in Bethphage locum, ubi Christus asinam ascendit.

PRÆL. III. Petere gratiam tertii modi humilitatis.

Q s

Pun.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur apparatus, quo Christus ex Bethphage vult intrare Jerosolymam.

INTEL. Intueamur primùm asinam instratam vestibus Discipulorum: Nam hæc fortior erat pullo, ad montem Oliveti, superandum tum contemblemur Christum Asinæ insidentem, & Discipulos paratos ad Christum comitandum. Non alii adsunt famuli, non equi, non tubæ, non tympana, &c. REFL. Nos deliberamus, an hunc; an verò mundanum apparatus eligere velimus.

VOL. Adhibito priore, & posteriore eligendi modo, haud dubiè Christo potius, quàm mundo assimilari eligemus. Hanc electionem toto cordis affectu Christo offeramus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Prophetam Zachariam. Cap. 9. de hoc apparatu ad Jerosolymitanos loquentem: *Jubila Filia Jerusalem. Ecce Rex tuus, veniet tibi justus & Salvator. ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.*

INTEL. En ut disertè paupertatem Christi prædicat: quæ in Meditatione de 2. vexillis, ex Christi præscripto debet primo loco omnibus suaderi. REFL. Nos verò perpendamus eundem Christum pauperem, ab eodem Propheta vocari justum, Salvatorem, & Regem.

VOL. Prosternamus nos ante Justum, & pauperem hunc Regem, & nos totos illi devoveamus, ipse enim salvabit nos.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Indagemus causam, cur Christus, qui pedes solebat ire, & ingredi Jerosolymam, nunc talem apparatus admittat.

INTEL. Prædixerat antè, nominatim in Cœnâ apud Bethaniam, instantem sibi passionem, mortem, & sepulturam: Noluit autem ad eam ire quasi tristis, & coactus, quam desiderio desideraverat. **REFL.** Sic nos convenit alacri animo suscipere crucem Christi, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Hebr. 12.

VOL. Nos igitur renovemus protestationem nostram, quam declaravimus his verbis: *hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum.* &c. Amplectamur videlicet tertium humilitatis modum, *non ex tristitia, aut ex necessitate.* 2. Cor. 9. Sed ex animo, sed cum desiderio, & ex amore erga Christum.

COLLOQ. De tertio modo humilitatis, petendo magnos animos ad exequendum certissimum nostrum decretum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO LXXXVI

De die Palmarum. Matth. 21.

Myft. punct. 3.

CONG. Desiderium cognoscendi charitatem Christi in nos.

PRÆL. I. Quomodo Christo Jerosolymam ingredienti, occurrerit populus & acclamaverit: *Osanna, Filio David. &c.*

PRÆL. II. Conspicere portam, & ingressum in Jerusalem.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum tamquam Regem amandi; & sequendi.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum torrente Cedron superato, per portam auream in vehi Jerosolymam, & turbam hominum ingentem ipsi occurrentem.

INTEL. Viderant tot ejus miracula, ac recentissime Lazarum sciebant resuscitatum; hinc in animo interiori istorum hominum magna erat admiratio, æstimatio, benevolentia, veneratio, & reverentia erga Christum, tamquam Dominum, Regem, & Dei Filium. REFLECT. Nobis quoque miracula illa, & plura deinde facta, nota sunt; debemus proinde interiori animo erga Christum etiam sic affecti esse.

VOL. Dum magna fidei eliciamus cum turbis illis affectus reverentiæ, & benevoli amoris, erga Christum Dominum, Regem, & Deum nostrum.

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Turba autem . . . clamabant dicentes: Osanna Filio David; Benedictus qui venit in nomine Domini; Osanna in altissimis.* Matth. 21. *Rex Israel.* Joan. 12.

INTEL. Non tantum interiore animo; sed voce quoque illum Dominum, ac Regem, clamantes: *Osanna in Altissimis*, testabantur. **REFL.** Hoc Christus permisit, ut nos discamus, non fidere hominibus: nam post paucos dies, sicut nunc clamatur *Osanna*, sic tunc clamabitur: *crucifige*.

VOL. Altè in animum nostrum dimittamus verba illa Jeremiæ 17. *Hæc dicit Dominus: Maledictus Homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Nos accedamus ad Dominum eliciendo actus spei, & fiduciæ in solo Deo.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in viâ, alii autem cadebant ramos de arboribus, & sternebant in viâ.* Matth. 21.

INTEL. Sic illi & sua, & res cœteras creatas adhibebant ad laudem, & reverentiam, & obsequium Christi. **REFL.** Sic nobis faciendum est juxtà Meditationes *Fundamenti*.

VOL. Renovemus affectus in Meditationibus *Fundamenti* conceptos.

COLLOQ. Instituamus iis conformia.

RECOLLECTIO.

MEDI-

MEDITATIO. LXXXVII.

De Predicatione in Templo. Luc. 19.

Myft. punct. 1.

CONG. Solita.

PRÆL. I. Quomodo Christus quotidie in Templo docuerit.

PRÆL. II. Aspectus Templi.

PRÆL. III. Petere zelum prædicandi Christum & sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum in templo, inter homines omnis ætatis, conditionis & status, qui ad ipsum confluebant.

INTEL. Ratiocinemur, quod Christus observet illud, quod in meditatione *de 2. vexillis* nos docuit, ut ministri sui, *omni hominum generi status, & conditioni, doctrinam sacram & salutiferam impertiant.* Præit ipse exemplo, *venite ad me omnes;* inquit Matth. 11. REFL. Examinemus nos, ad non simus exceptores personarum.VOL. Cogitemus ad nos quoque pertinere illud. Luc. 4. *Evangelizare pauperibus misit me,* neque spectemus exteriora: dicamus omnibus *empti enim estis pretio magno.* 1. Cor. 6.

PUNCTUM II. VERBA..MEM. Audiamus Prædicationem, & Doctrinam Christi.

INTEL.

INTEL. Non aliud prædicatur à Christo, quàm *paupertas, abjectio sui, atque humilitas; quæ ex diametro divitiis, honori & superbia opponuntur; ac virtutes omnes statim introducunt.* Huc tota Evangelii doctrina reducitur. REFL. Cogitemus quomodo nos in hac doctrinâ instructi simus, & quomodo alios instruamus.

VOL. Concipiamus affectum Apostoli. I. Cor. 2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum.* & I. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et erat docens quotidie in templo.* Luc. 19.

INTEL. Christus non vacabat ab opere docendi; sed *quotidie* erat in labore docendi & prædicandi. REFL. Memores simus verborum ipsius, quæ meditati sumus in Contemplatione Regni Christi, loquentis de gloria Patris sui: *Quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.*

VOL. Excitemus zelum laborandi cum Christo in docendo, & prædicando: & renovemus affectum, hisce verbis: *Eno! Rex supreme ac Domine universorum, &c.*

COLLOQ. De 2. vexillis.

RECOLLECT. O. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO. LXXXVIII

De Predicatione in Templo. Luc. 19.

Myft. punct. 2.

CONG. Ut semper solet.

PRÆL. I. Quomodo Christus finita prædicatione in Bethaniam redierit, nullo ipsum Jerosolymis excipiente.

PRÆL. II. Iter Jerosolymis in Bethaniam cogitatione metiri.

PRÆL. III. Postulare gratiam Christum sequendi sine spe mercedis humanæ.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum cessantem à labore docendi & prædicandi, qui toto die duraverat.

INTEL. Sicut Joan. 4. legitur *fatigatus ex itinere*, sic inveniemus illum fatigatum ex diurno labore instruendi populum. REFL. Perpendamus, quod sic fatigatus fuerit propter nos, ut nos & verbo & exemplo provocaret ad laborandum cum ipso.

VOL. Dicamus cum Ecclesiâ: *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Optemus cum ipso fatigari in operibus charitatis, exemplo Tobix. Cap. 2. *Qui erat fatigatus à sepulturâ*, ab opere misericordiæ temporalis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum verbo, & exemplo clamantem id quod dixit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.*

INTEL. Ratiocinemur verè illum toto die gratis prædicasse, docuisse, sanasse, &c. Nam non legitur Jerosolymis ab ullo fuisse exceptus hospitio.

REFL. Meminerimus Regulæ nostræ. 27. summ. quæ monet, nos *gratis dare debere, quæ gratis accepimus.*

VOL. Excludamus ab animo nostro omnem cupiditatem donorum, & cuiusvis remunerationis laborum nostrorum. *Quid mihi est in Cælo aut à te quid volui super terram?* Ps. 72. Ità servemus Regulam nostram: ut cum Samuële dicere possimus: *loquimini de me coram Domino ... Si de manu cuiusquam munus accepi.* 1. Reg. 12.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Marc. 11.

INTEL. Finito prædicandi, & docendi labori, novus labor succedebat, redeundi cum duodecim in Bethaniam: quamquam nec in viâ cessabat ab Instructione Apostolorum, nec in Bethaniâ ab instructione populi accurrentis. **REFL.** Consideremus quod in illo multiplici, & quasi perpetuo labore, nihil sit, quod non spiret paupertatem, abjectionem sui, & humilitatem.

VOL. Renovemus, & suscitemus in nobis spiritum tertii modi humilitatis, ut Christo optimo Imperatori nostro possimus assimilari.

COLLOQ. Conformia. RECOLLECTIO.

HEBDOMADÆ SECUNDÆ

FINIS.



HEBDO-